



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Disp. IX. De objecto cognitionis Angelicæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

nem medii, in quo omnes creaturæ existentes, futuræ, & possibiles, clarè & distinctè, ac secundum proprias suas differentias repræsententur & cognoscantur.

95. Respondent secundò alii, species intelligibiles, quæ sunt à rebus acceptæ, suam unitatem specificam ab objectis desumere, secus verò illas quæ non sunt desumptæ à rebus, sed ab ideis divinis, & specie increata exemplatæ, & derivatæ. Sicut enim objectum scitum est solum mensura scientiæ cuius est causa; ita & objectum repræsentatum est solum mensura ejus speciei quæ ab ipso causatur: unde cum species angelicæ non sint acceptæ à rebus, ab illis nec mesurantur, nec specificam unitatem desumunt; sed potius è contra objecti unitas ab unitate speciei dependet, sicut unitas sigillati ab unitate sigilli. Ita colligitur ex D. Thoma in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 2. ad 1. dicente: *Est quoddam universale ad rem, quod est prius re ipsa, sicut forma domus in mente edificatoris: & per hunc modum sunt universales forme rerum in mente Angelica existentes; non ita quod sint operativa, sed quia sunt operativis similes.* Itaque sicut formæ operativæ, licet unitatem habeant per ordinem ad suum effectum, eam tamen non habent ab illo, nec ab ipso mesurantur, sed potius è contra: ita & species universales angelicæ non mesurantur, nec habent ab objecto suam unitatem, sed potius objectum ab ipsis; istud enim unum est, quia per unam speciem repræsentatur & intelligitur; hæcque unitas sufficit ut sit terminus habitudinis speciei ad ipsum. Adde quòd supra disp. 4. diximus locum Angeli habere unitatem à virtute continentem illum: cur ergo non poterit idem dici de objecto repræsentato per speciem Angeli, habere scilicet unitatem in ratione objecti à specie illud repræsentante? sicut etiam sigillatum (ut supra dicebamus) unitatem sumit à sigillo, licet res valde diversas exprimat ac repræsentet. Hanc doctrinam & solutionem approbo.

96. Aliter tamen argumento respondeo, distinguendo scilicet Majorem: species intelligibilis desumit suam unitatem ab objecto quod repræsentat, formaliter & in esse objecti spectato, concedo Antecedens: materialiter & in esse entis considerato, nego Antecedens, & Consequentiam.

Explicatur: Sicut Philosophi docent quòd res consideratæ à scientiis divinis sunt in esse rei, unum tamen in esse scibilis, & in ratione objecti, quatenus subsunt eidem rationi *sub qua*, iidem scilicet principiis, & eidem abstractioni à materia, ut explicari solet in *Metaphysica*: ita nunc dicimus quidditates & naturas specificas per speciem universalem repræsentatas, esse quidem plures & specie diversas in genere entis, unum tamen in ratione objecti; à quo ut sic sumitur unitas specifica speciei intelligibilis. Habent autem hanc unitatem, non ab una ratione *que* (nam hæc objectum constituit in genere entis, & multiplex est) sed ab una ratione *sub qua*, quæ objectum constituit in genere objecti, & una est specie atomata. Porro hæc ratio *sub qua* est quædam habitudo, quam illæ naturæ formaliter ut sunt objectu unius speciei angelicæ important: ita ut una species Angeli sit v. g. repræsentativa immediatè omnium lapidum vel herbarum, ut còducunt ad medicinalem virtutem, vel ut pertinet ad climata hujus regionis: alia sit similitudo avium, qua-

tenus tali regioni deserviunt, aut tali finis, vel secundum quod deserviunt homini, vel quatenus pertinent ad ornatum integri elementis, v. g. aeris, vel terræ, ubi est finis altior & universalior: & sic de aliis.

Ex quo patet responsio ad primam confirmationem: licet enim Angelus possit simul & eodem actu cognoscere omnes quidditates seu naturas repræsentatas per speciem intelligibilem universalem quam habet: quia tamen naturas illas & quidditates non potest attingere, nisi prout subsunt eidem habitudini & rationi *sub qua* jam explicatæ; quo pacto non habent rationem plurius, sed unius (sunt enim unum formaliter & in ratione objecti) hinc fit illum non posse plura ut plura simul intelligere.

Ad secundam confirmationem neganda est sequela Majoris: quia species intelligibilis universalis, non est adæquata similitudo uniuscujusque ex objectis distinctis quæ repræsentat, sed potius excedens, ut hic art. 3. ad 3. explicat D. Thomas: licet autem quando tertium identificatur, aut est simile adæquate duobus extremis, hæc debent esse eadem aut familia inter se, secus tamen quando in adæquate idem aut simile illis est, nam tunc aliquo modo excedit unum quodque ex illis, ut Tractatu præcedenti exposuimus.

Objicies secundò contra secundam conclusionem. Si quo Angelus est superior, sed per universales species intelligeret, sequeretur posse dari Angelum qui omnia intelligeret per suam substantiam: Sed hoc non debet admitti: Ergo nec illud, Sequela probatur: Supponamus enim supremum Angelum nunc de facto intelligere omnia per duas species, seipsum scilicet per propriam substantiam gerentem vices speciei, & alia à se per unicam speciem ejus substantiæ superadditam: Tunc sic Deus potest creare alium Angelum isto perfectiorem: Ergo & qui intelligit omnia per pauciores species, atque adeo per suam substantiam.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem dico, datà illà hypothesi, omnibus Angelis præexistentibus superaddendam esse novam speciem, quæ repræsentetur Angelus de novo productus: sicque Angelus qui antea erat superior inciperet intelligere omnia per tres species, scilicet seipsum per propriam substantiam; alia sibi interiora per speciem accidentalem illi ab initio creationis inditam; & Angelum de novo creatum, per aliam speciem accidentalem de novo superadditam. Et sic semper procedendum est, si abeat in infinitum in creatione Angelorum: semper enim superior habebit pauciores species, non per minorationem dualitatis, sed per additionem seu multiplicationem pluralitatis in inferioribus, ut loquitur Cajetanus hic art. 3. 5. contra eandem.

DISPUTATIO IX.

De objecto cognitionis Angelicæ.

Ad quæst. 56. & 57. D. Thome.

Objectum cognitionis Angelicæ est duplex, spirituale scilicet & materiale: de primo agit S. Doctor quæst. 56. de altero quæst. 57. Nos verò de utroque in hac disputatione differemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Primum Angelus cognoscat seipsum per suam substantiam tanquam per speciem impressam & expressam.

§. I.

Utraque pars quaesiti resolvitur.

Loco primo: Angelus seipsum cognoscit per suam essentiam, tanquam per formam sive speciem intelligibilem; subindeque non indiget aliquâ specie accidentali ad sui cognitionem. Ita communiter docent Theologi cum S. Thoma hic tractat. 56, art. 1. contra Marfilium & Vazquem, differentes Angelum indigere specie intelligibili ad sui cognitionem; & contra Scotum in 2, dist. 3. tractat. 70 dicentem quod licet Angelus cognitionem suam non possit se cognoscere per suam essentiam tanquam speciem, cognitione tamen abstracta seipsum cognoscit per speciem superadditam.

Probatur conclusio ratione fundamentali. Speciem intelligibilem est provisâ à natura tanquam viam ad ipsius objecti, quando objectum ipsam non potest uniri cum potentia intellectiva in esse intelligibili; nam si objectum ipsum possit seipso esse intelligibili uniri, frustra desideratur aliud species ipsius gerens, cum ipsum objectum sit quod debet intelligi: Sed essentia Angeli potest seipsâ uniri in esse intelligibili cum intellectu ipsius. Ergo Angelus non indiget specie accidentali ad sui cognitionem; sed seipsum cognoscit per suam substantiam. Major patet, Minor probatur. Ut objectum per seipsum uniatum cum intellectu in esse intelligibili, & minus formae seu speciei intelligibilis praestet, tres requiruntur & sufficientes conditiones. Prima est, quod seipso sit intelligibile in actu, & ideo res materiales non possunt uniri intellectui. Secunda est, quod sit proportionatum in immaterialitate cum potentia cognoscitiva, ita ut ad minus sit aequè immaterialis ac ipsa; cum enim debeat ei uniri ut forma intelligibilis, debet ad minus eam aquare in immaterialitate. Tertia tandem est, quod sit in se unum cum ipsa potentia. Atqui essentia Angeli tres illas conditiones habet: cum enim sit species omnis materiae, est intelligibilis in actu; species namque intelligibilis non aliter reddit objectum intelligibile actu, nisi separando illud a materia: est etiam proportionata, utpote ejusdem immaterialitatis cum proprio intellectu, qui ab ea dimanat tanquam proprietates: unde etiam est in se illi conjuncta; nam proprietates & essentia maxime unita sunt, & magis quam intellectus & species ab extrinseco adveniens. Ergo essentia Angeli potest seipsâ uniri in esse intelligibili, cum intellectu ipsius.

Confirmatur: Idem in visione beatifica Deus per suam essentiam, tanquam per speciem intelligibilem, videtur à Beatis, quia divina essentia, respectu intellectus Beati, habet tres illas conditiones enumeratas: primam quidem, quia est maxime intelligibilis, imò ipsa intelligibilitas in actu; secundam verò, quia licet inter divinam essentiam, & intellectum creatum secundum se consideratum, non sit debita proportio, bene tamen inter seipsum ut elevatum lumine gloriae, quo

Tom. II.

A mediante sit deiformis, & particeps divinae intellectualitatis, ut vidimus in Tractatu de visione beata: tertiam denique, quia divina essentia intus unitur cum eodem intellectu sic elevato & deificato: Ergo cum essentia Angeli habeat tres illas conditiones in ordine ad cognitionem sui, non est cur negetur, Angelum seipsum intelligere per suam essentiam, tanquam per formam intelligibilem: quod etiam magis patet ex solutione argumentorum.

Dico secundo: Substantia Angeli non gerit vices speciei expressae in cognitione sui, sed Angelus intelligendo se, format aliquid verbum, ab ipsa intellectione & substantia Angeli realiter distinctum. Est contra Cajetanum supra quaest. 27. art. 1. §. ad tertium, ubi docet Angelos non formare verbum in propria cognitione: cujus sententiam probabilem reputat Nazarius, etiam ex mente D. Thomae: sed alii Thomistae oppositum tenent. Et quoad mentem D. Thomae, non videtur ulla esse posse difficultas, nisi velimus ad ea quae sunt evidentissima voluntarias adhibere interpretationes: nam 4. cont. Gent. cap. 11. sic formaliter ait: *Perfectior igitur est intellectualis vita in Angelis, in quibus intellectus ad sui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori, sed per se cognoscit seipsum. Nondum tamen ad ultimam perfectionem vita ipsorum pertingit: quia licet intentio intellecta sit in eis omnino intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia; quia non est in eis idem intelligere & esse.* Ubi S. Doctor, per intentionem intellectam, intelligit speciem expressam, sive verbum, ut concedunt Adversarii. Ergo ex D. Thoma, ipsa substantia Angeli non gerit vices verbi seu speciei expressae in cognitione sui.

Ratio etiam id suadet: Hoc enim inter speciem impressam & expressam reperitur discrimen, quod species impressa est forma intelligibilis, at vero species expressa est in actu secundo intellecta; ita ut esse intrinsecum istius sit esse intellectum: illius verò sit esse intelligibile, nondum pertingens ad ultimam actualitatem ordinis intelligibilis: quamvis autem essentia Angeli sit ex se forma intelligibilis, non est tamen tanta perfectionis, ut sit ex se forma intellecta in actu secundo: unde sit ut non possit immediate per seipsam terminare propriam cognitionem; sed necessaria sit species expressa, in qua habeat illam actualitatem, quam ex se non habet, ut sit propriae cognitionis terminus.

Confirmatur. Ut natura Angeli esset verbum, deberet identificare sibi intellectionem, & per consequens esse actus purus in ordine intelligibili: Sed hoc dici nequit, ut praecedenti disputatione vidimus: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Substantia quae habet ex se rationem verbi, habet etiam rationem speciei intelligibilis: Ergo cum inter speciem intelligibilem & verbum mediet intellectio, oportet quod sibi identificet etiam intellectionem, & consequenter quod intelligere sit ejus esse, subindeque quod sit actus purus in ordine intelligibili. Et hoc est quod intendit S. Thomas loco proxime citato, dum ait quod in Angelis intentio intellecta non est eorum substantia, quia non est in eis idem intelligere & esse.

Confirmatur amplius. Idem essentia divina potest supplere vices verbi in visione beatifica, quia ipsa est intelligibilis in actu secundo & actus purus simpliciter, ut in Tractatu de visione beata

Ccc

osten-

4.
5.
6.
7.

Disp. 2, art. 2.

ostensum est. Ergo cum Angeli substantia non sit in actu secundo intelligibilis, nec actus purus simpliciter, non potest in cognitione sui gerere vices verbi & speciei expressas; sed Angelus intelligendo se, format aliquod verbum, ab ipsius intelligentia & substantia realiter distinctum.

S. II.

Solvuntur obiectiones.

8. **O**bjicies primò contra primam conclusionem, autoritatem D. Thomæ ex libro 3. contra Gentes cap. 51. ubi dicit hoc esse proprium essentia divina, ex hoc quod est veritas ipsa, & purus actus, etiã in genere intelligibilium, quod possit esse principium formale quo intellectus intelligit, & non informare illum intellectum secundum esse. Ergo ex D. Thomæ sola essentia divina potest gerere vices speciei intelligibilis.
9. Respondeo cum Cajetano hic & Ferrariensi 2. contra Gent. cap. 8. D. Thomam non loqui de quocumque intellectu, sed de alieno tantum: sola enim essentia divina habet propter suam infinitatem, & purissimam actualitatem, quod possit uniti alieno intellectui ut principium formale, non in esse entitativo, sed intelligibili.
10. **O**bjicies secundo. Species intelligibilis unitur intellectui per modum formæ ipsam completentis & determinantis ad speciem cognitionis: Sed substantia Angeli non unitur proprio intellectui per modum formæ completentis & actuantis ipsum: Ergo ei non unitur ut species intelligibilis. Major patet, Minor probatur. Essentia Angeli unitur intellectui, sicut subjectum cum accidente, & radix cum proprietate: Sed quod se habet per modum subjecti & radice, non actuatur & completitur, sed potius actuatur & completitur: Ergo substantia Angeli non unitur proprio intellectui per modum formæ completentis & actuantis ipsum.
11. **C**onfirmatur. Implicat duo habere mutam dependentiam ad invicem, in eodem genere causæ: Sed intellectus Angeli unitur cum essentia tanquam forma cum potentia, sive subjecto radicali, & ut principium formale operandi & intelligendi. Ergo repugnat quod etiam substantia Angeli per modum causæ formalis uniatur ejus intellectui.
12. **A**d objectionem respondeo essentiam Angeli esse simul formam naturalem & intelligibilem; & in quantum formam naturalem, esse subjectum & radicem suarum proprietatum, & consequenter intellectus & voluntatis; in quantum verò formam actu ex se intelligibilem, uniti cum proprio intellectu, per modum speciei intelligibilis, ultimo ipsum completentis & determinantis ad sui cognitionem; non repugnat enim quod aliquid in uno ordine sit forma alterius, & in alio formetur ab ipso: unde nec est inconveniens quod intellectus sit forma essentia Angelica in esse entis, & quod essentia Angeli sit forma sui intellectus in esse intelligibili; ita ut quædam modum essentia habet in esse entis ab intellectu quod sit principium specialium operationum, nempe intellectus habeat ab essentia ultimum complementum, ultimamque determinationem ad hanc operationem in specie. Solutio est D. Thomæ quaest. 8. de verit. art. 6. ad 2. ubi ait: *Essentia Angeli, quamvis non possit comparari ad intellectum eius ut actus ad potentiam in essendo; comparatur tamen ad*

A ipsum ut actus ad potentiam in intelligendo. Ex in resp. ad 6. Nihil prohibet (inquit) aliquid esse in altero, & illud in eo, diversis modis: sicut autem in eodem in partibus, & e converso: & sic est in propria essentia enim Angeli est in intellectu eius, sicut in intellectu in intelligente: intellectus autem in essentia sui potentia in substantia.

Ad confirmationem dico nullum esse inconveniens, duo habere mutam dependentiam ab invicem in eodem genere causæ remota, dummodo sit in diverso genere proximo, aut secundum diversas species; subindeque unionem duorum ex parte utriusque posse pertinere ad genus causæ formalis remotum, dummodo sit in diverso genere proximo, aut secundum diversas species. **B** Alius: v. g. essentia in creatis est potentia receptiva existentia, & principium formale specificatum ipsius; ideo enim existentia est forma respectu determinata, quia oritur ab hac essentia; aliter verò ipsa existentia est actus & forma respectu essentia, atque illi formaliter in actu exercito esse tale in specie existens, sive ens participiale unde unio essentia cum existentia, ut se tenet ex parte essentia prout receptiva, pertinet ad genus causæ materialis; prout verò per modum causæ formalis determinat existentiam ad speciem, pertinet ad genus causæ formalis: similiter prout se tenet ex parte existentia, quatenus informatur & actuatur essentiam, reducit etiam ad genus causæ formalis universale & remotum; est tamen diversa genus proximum, aut diversa species causalitatis formalis. Nullum ergo est inconveniens quod essentia & intellectus Angeli habeant formaliter mutam dependentiam in eodem quidem genere remoto causæ formalis, in diverso tamen proximo (maxime prout ad duos ordines pertinent, entitativum scilicet & intelligibilem) & quod eadem materialiter unio intellectus cum essentia Angelica, tanquam forma cum potentia, sive subjecto radicali, sit etiam unio ipsius essentia cum intellectu, tanquam forma ex se intelligibilis cum potentia cognoscente ab ipsa dimanante. Item sicut eadem essentia Angeli est forma naturalis & simul intelligibilis, & in quantum forma naturalis est principium radicale & formale intellectus, in quantum verò forma intelligibilis est illius objectum, omnino in immaterialitate ei proportionatum: ita etiam postulat unam & eandem realiter unionem, quæ unitur intellectui in ordine naturali, tanquam subjecto & principio radicali; & in ordine intelligibili, per modum formæ intelligibilis.

C **O**bjicies tertio. Nulla substantia creata potest in doctrina D. Thomæ esse immediatè operativa, ut patet ex dictis disputatione præcedenti: Sed si Angelus seipsum intelligeret per suam substantiam, tanquam per formam seu speciem intelligibilem, talis substantia (quæ ut patet creata est) immediatè operativa esset: Ergo Angelus non potest seipsum cognoscere, per suam essentiam, tanquam per formam seu speciem intelligibilem. Minor probatur: Quod unitur intellectui per modum speciei intelligibilis, active concurrat ad intellectionem, sicut & ipsa species intelligibilis: unde in Tractatu de visione beatifica ostendimus essentiam divinam, unitam intellectui beatorum per modum speciei intelligibilis ad visionem beatificam active concurrere: Ergo si substantia Angeli ejus intellectui per modum speciei ad sui cognitionem uniatur, aliqua substantia creata est proxime & immediatè operativa.

Respon.

Respondeo primò, concessa Majori, negando sequelam Minoris. Etsi enim substantia angelica habeat rationem speciei respectu sui intellectus in ordine ad sui cognitionem, non est tamen necesse quod immediate per seipsam, sed sufficit esse quod mediante intellectu, tanquam sua virtute, concurret ad intellectum, tanquam ab effectu a natura, & tanquam ab effectu a virtute intellectus; subindeque tanquam virtus utriusque utriusque concurret ad intellectum, in esse intellectus & intelligibili consideratam. Ratio hujus solutionis est: quia licet ad rationem speciei intelligibilis requiratur, quod duo exequatur mutua, unum scilicet in genere causæ formalis unitatis objectum cum potentia, aliud verò in genere causæ efficientis, respectu intellectus; priorque debet indispensabiliter à specie immediate per seipsam præstari: non est tamen necessarium quod indispensabiliter, quod secundum munus immediate per seipsam præstetur, sed sufficit quod fiat mediante intellectu tanquam virtute eius; ita ut ipsa intellectio in genere causæ efficientis sit solum ab intellectu tanquam à causa proxima, & à specie intelligibili, solum tanquam à principio radicali.

Respondeo secundo, quod licet substantia Angelici non possit esse immediate operativa, per modum potentia, & in esse entitativo, bene tamen per modum speciei, & in ordine intelligibilis. Cum enim species intelligibilis non sit potentia, sed determinatio in esse intelligibili potentia activæ & proxima, scilicet intellectus, in ordine ad specificationem actus; ad hoc ut substantia Angelici exerceat munus speciei in ordine ad cognitionem sui, non est necesse quod concurret ad illam per modum potentia activæ, sed sufficit quod concurret per modum determinationis potentia operativæ in ordine intelligibili, quod secundum non implicat, sicut primum.

Ad id, ideo in Schola Divi Thomæ substantiam non posse esse per modum potentia proxime operativam in ordine entitativo, quia cum existentia substantia creatæ & operatio sint actus distincti oportet quod etiam substantia (quæ est potentia per se primo ad esse) & principium primum operationis (quod specificatur ab operatione) distinguantur realiter. Cæterum esse substantia Angelici, ac ut habentis rationem formæ intelligibilis, & operatio quæ est intellectio, non distinguantur realiter, eo quod existentia totius ordinis intelligibilis sit ipsum intelligere, quod est actus actualitas talis ordinis.

Dices. Si substantia Angelici in ordine intelligibili possit esse immediate operativa, & per se primo intellectio tanquam proprium actum respiceret, sequeretur quod aliqua substantia creata posset aliquid extra proprium prædicamentum per se primo respicere. Sed hoc repugnat rationi substantia: Ergo & illud. Sequela Majoris patet: nam intellectio angelica, cum sit accidens, est extra prædicamentum substantia. Minor vero probatur: quia in hoc distinguitur prædicamentum substantia ab accidentibus, quod cum illud sit perfectissimum, debet esse omnibus modis completum intra suam lineam, ac proinde habere in se ipsam suum proprium specificativum, nec potest ab aliquo extrinseco specificari, accidentia vero, cum non sint entia simpliciter, sed entis entia, hoc est affectiones substantia, quæ dicitur

Tom. II.

A simpliciter ens, non habent suum specificativum intra propriam lineam, sed possunt speciem emendicare ab aliquo extrinseco.

Respondeo negando sequelam Majoris: quia ad rationem speciei intelligibilis, materialiter & per accidens se habet quod in ordine entitativo sit substantia, vel accidens; & sic ex eo quod substantia Angelici, in ratione speciei intelligibilis formalissime sumpta, respiciat per se primo intellectio, non sequitur quod prout habet rationem substantia, in esse entitativo illam per se primo respiciat.

B Objicies quarto: De ratione speciei intelligibilis est quod inhereat, cum non possit aliter uniri intellectui, quam per inhaerentiam: Sed substantia Angelici, cum sit per se subsistens, inhaerere nequit: Ergo nec habere rationem speciei intelligibilis in cognitione sui.

Respondeo negando Majorem: Cum enim species intelligibilis pertineat ad gradum intellectivum, qui est perfectio simpliciter simplex, & formaliter reperitur in Deo, ut est certum de fide, saltem quantum ad speciem expressam; ipsaque divina essentia in visione Beatifica vices speciei intelligibilis gerat, ut in Tractatu de visione beata ostendimus; falsum est quod prædicta species includat essentialiter imperfectionem inhaerentia aut informationis; sed unitur intellectui per aliam unionem altiore, quæ est aqualis identificatio & potest non incongruè informatio intelligibilis appellari, ut ibidem fuse exposuimus. Si ergo aliquando species intelligibilis inhereat, hoc ei convenit per accidens & materialiter, in quantum habet esse accidentale: quod contingit quando est ab effectu enutritivo distincta. Unde D. Thomas hic quæst. 56 art. 1. *Nihil differt ad hoc quod forma sit principium actionis, quod ipsa forma sit aliquando inhaerens, & quod sit per se subsistens non enim minus calor calefaceret, si esset per se subsistens, quam calefacit inhaerens. Sic igitur etsi aliquid in genere intelligibilium se habeat ut forma intelligibilis subsistens, intelligit seipsum.*

D Dices. Esto quod de ratione speciei intelligibilis non sit quod inhereat intellectui. debet tamen illi subordinari. Sed essentia Angelici, illius intellectui subordinari nequit: Ergo nec habere rationem speciei intelligibilis in cognitione sui. Minor patet: quia subordinatio dicit dependentiam, quæ non est in essentia Angelici respectu intellectus. Major probatur: Omne principium quo subordinatur principio quod: Sed species intelligibilis est principium quo, intellectus verò principium quod: Ergo species intelligibilis subordinatur intellectui.

Respondeo distinguendo Majorem: Species intelligibilis debet intellectui subordinari, quando species est accidens, transeat Major: quando est substantia, & radix intellectus, nego Majorem. Ad probationem in contrarium dicendum est principium quo subordinari principio quod, quando dependet & sustentatur ab ipso, estque ejusdem ordinis cum illo: si verò non sustentetur ab illo, sed potius ipsum sustentet, aut sit altioris ordinis, non subordinatur illi, sed potius illud sibi subordinat: essentia autem Angelici, intellectum ejus sustentat, & sic etiam in ratione speciei non subordinatur illi.

Ad id quod, licet in aliis rebus principium formale quo subordinetur principio quod, non tamen id est admittendum in intellectu & specie intelligibili. Ratio autem disparitatis desumitur ex propria natura intellectus & speciei, seu ob-

19.

20.

21.

Disp. 20 art. 3.

22.

23.

24.

Et intelligibilis: nam in aliis rebus principium formale quo non transit in naturam principii quod, seu non identificatur cum eo, sed manet omnino ab illo distinctum, ita ut ex utroque unum tertium non resultet: at verò in ordine intelligibili intellectus transit in speciem seu objectum intelligibile; quia intellectus fit ipsa res intellecta, in esse intentionali; & idè dato quòd intellectus suo modo influat ut quod, adhuc species seu objectum non subordinabitur illi, quia intellectus est intelligibiliter ipsa species seu objectum, & nihil subordinatur sibi ipsi.

25. Obijcies ultimò contra secundam conclusionem. Substantia Angeli non solum est intelligibilis in actu, sed etiam actu est intellecta ab intellectu angelico; ille enim est semper in actu secundo respectu cognitionis sui, ut infra dicemus: Ergo habet sufficientem actualitatem ut gerat vires non solum speciei impressæ, sed etiam expressæ in cognitione sui.

26. Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Licet enim substantia Angeli sit semper actu intellecta ab Angelo, hoc tamen convenit ei per accidens, & non essentialiter; aliàs esset solum intelligere, & actus purus in ordine intellectuali, ut supra ostendimus: ut autem haberet rationem verbi seu speciei expressæ, deberet esse essentialiter intellecta; quia de essentia verbi est actu intelligi, seu actualem intellectio- nem terminare.

S. III.

Corollaria ex dictis.

27. **E**X dictis colliges primò, quòd sicut Angeli cognoscunt suam substantiam, per eandem ipsam substantiam tanquam per speciem, ita & per eandem cognoscunt omnes suas proprietates. Ratio est, quia sicut ipsa substantia est forma intelligibilis, seipsam representans intellectui, ita est forma intelligibilis illi representans ea quæ continet, & quorum est radix & origo: Sed substantia Angeli suas proprietates continet, & est illarum radix & origo: Ergo est forma intelligibilis representans intellectui Angeli suas proprietates.

Adde quod, quidquid representat unum quidditivè & comprehensivè, representat etiam omnia quæ cum eo connectuntur: Sed essentia Angeli representat seipsam proprio intellectui quidditivè & comprehensivè, & cum suis proprietatibus connectitur: Ergo etiam illi omnes suas proprietates representat.

28. Colliges secundo, quòd licet supponeremus Angelum habere cognitionem abstractivam sui, intelligendo suam substantiam, solum quantum ad prædicata essentialia, & non quantum ad subsistentiam & existentiam, ut vult Scotus, ejus tamen substantia haberet rationem speciei intelligibilis, respectu talis cognitionis.

Probatur, quia etiam hac facta suppositione Substantia Angeli esset actu intelligibilis, proportionata proprio intellectui, eique intimè unita; quæ sunt conditiones necessariæ & sufficientes ut aliquod objectum habeat rationem speciei intelligibilis, ut supra vidimus: unde in tali casu Angelus proprii substantiæ tanquam specie inadæquatè uteretur, ad cognoscenda nimirum sua solum prædicata essentialia, non attingendo suam subsistentiam & existentiam.

A Colliges tertio, animam rationalem non posse in statu informationis seipsam per seipsam intelligere, sed intelligere aliquam speciem accidentalem sui cognitione: cum enim sit forma corporis, non est actu sed potentia tantum intelligibilis in statu informationis. Quando verò fuerit separata a corpore, tunc intelliget seipsam per suam substantiam tanquam per speciem quia tunc intelliget modo angelico, nec indiget speciebus acceptis à rebus sensibilibus, aut conversione ad phantasmata.

Colliges quartò, unum Angelum non posse cognoscere alios per suam substantiam tanquam per speciem. Ratio hujus est, quia species est perfecta, & formalis similitudo objecti: substantia autem unius Angeli non perfecte assimilatur substantiæ alterius, imò est diversæ naturæ & speciei ab illa, ut supra ostendimus: Ergo non potest esse species representativa illius. Ita S. Thomas quaest. 9. de verit. artic. 7. ubi sic discurret: *Cum omnis cognitio sit per assimilationem, Angelus per essentiam non potest plus de alio Angelis cognoscere, quam hoc in quo essentia est similis: cum autem Angelus alteri non assimilatur nisi in natura communi; & sic sequeretur quòd unus alium non cognosceret cognitione completa.*

Confirmatur: Ut aliquis habeat rationem medii ducentis in perfectam cognitionem alterius, debet illud continere vel formaliter vel eminenter: Sed substantia unius Angeli neutro modo alterius substantiam continet, ut patet ex supra dictis: non enim continet illam formaliter, cum illam superet, vel superetur ab illa in perfectione essentiali; nec etiam eminenter, cum eminentiis continentiis rerum secundum proprias differentias, soli Deo, qui est causa totius entis in tota sua latitudine, competere possit: Ergo substantia unius Angeli non potest habere rationem speciei vel medii ducentis in perfectam cognitionem alterius. Hinc.

Colliges quintò, unum Angelum non posse cognoscere alterum per substantiam ipsius Angeli cogniti: tum propter rationem jam assignatam, tum etiam propter aliam, quæ sic breviter debet citari. De ratione speciei impressæ est ut unum cum potentia cognoscitiva: Sed substantia unius Angeli non potest uniri cum intellectu alterius: Ergo nec esse speciei representativa illius. Major patet ex supra dictis, Minor etiam facile suadet. Nam vel unio illa esset per identitatem, vel per naturalem colligationem (quomodo proprietates uniantur essentia) vel per veram inobedientiam, vel per illapsum? Atqui nullo ex his modis potest substantia unius Angeli uniri intellectui alterius: Ergo nullo modo. Major sufficientem continet inductionem, Minor breviter probatur. Non enim potest unio illa fieri per identitatem, cum unus Angelus sit distinctus ab alio: nec per naturalem colligationem, cum unum non sit proprietas alterius, & unus possit existere, altero non existente: nec etiam per inobedientiam, quia substantia non potest inobedire: nec denique per illapsum, ut disputatione quarta ostendimus; quia talis illapsum requirit plenum & perfectum dominium unius Angeli (quod tamen non habet) ad immutandum & movendum intellectum alterius: unde hæc prærogativa summo & circumscripto spiritui reservatur, ut ait Divus Bernardus serm. 5. in Cantica: Ergo &c. Cognoscit itaque unus Angelus alterum, non per alterius substantiam, sed per

speciem eius in intellectu suo existentem, ut ait D. Thomas hic art. 2. ad 3. Et in corpore ejusdem articuli dicit quod unicuique spiritualium creaturarum à verbo Dei impressa sunt omnes rationes rerum omnium, tam corporalium, quam spiritalium.

Colliges sextò, Angelum cognoscere Deum per suam substantiam, tanquam per speciem. Ita D. Thomas hic articulo 3. ubi ait aliquid posse cognosci tripliciter: Vno modo per presentiam sue essentia in cognoscente; sicut si lux videtur in oculo.... Alio modo per presentiam suam similitudinis in potentia cognoscitiva; sicut lapsus videtur ab oculo, per hoc quod eius similitudo resultat in oculo. Tertio modo, per hoc quod similitudo rei cognoscite non accipitur immediate ab ipsa re cognita, sed à re aliqua in qua resultat; sicut videmus hominem in speculo. Postea subdit: Cognitio autem quod angelus per sua naturalia cognoscit Deum, media est inter has duas, & simulatur illi cognitioni quod videtur res per speciem ab ea acceptam. Quia enim imago Dei est in ipsa natura Angeli impressa, per suam essentiam Angelus Deum cognoscit, in quantum est similitudo Dei. Quibus verbis corollarium istud & docuit, & probavit. Nam si essentia Angeli habet rationem speciei & principii quo, respectu cognitionis sui, etiam debet esse species & forma respectu cognitionis eorum quorum est similitudo; eadem enim specie quæ videtur imago, videtur etiam res per eam representata: Atque substantia Angeli est imago & similitudo Dei: juxta illud Ezechiel. 28. Tu signaculum similitudinis. Ergo hoc ipso quod haberet rationem speciei respectu cognitionis sui, debet etiam habere rationem speciei respectu cognitionis naturalis Dei. Veruntamen quia Deus non est objectum primò sed secundariò tantum per essentiam Angeli representatum (nam essentia Angeli non habet rationem speciei, seipsam per se primò representat) subdit Divus Thomas: quod magis ipsa cognitio tenet se cum speculari, quia & ipsa natura Angelica est quoddam speculum divinum similitudinem representans. Quibus verbis declarat, quod licet substantia Angeli habeat rationem speciei intelligibilis & medii quo, in ordine ad cognitionem naturalem Dei, magis tamen se habet ut objectum prius cognitum, quod medii in quo, seu medium quod appellatur. Unde eodem modo cum proportione debemus de essentia Angeli respectu cognitionis naturalis Dei philosophari, quo de essentia divina respectu cognitionis creaturarum: sicut enim essentia divina est medium quo & in quo Deus cognoscit creaturas, quia non representat illas nisi secundariò, & mediante sui representatione; ita & essentia Angeli habet rationem medii quo & in quo, in ordine ad cognitionem naturalem Dei.

Dices primò: Essentia unius Angeli habet maiorem similitudinem cum essentia alterius Angeli, quam cum essentia Dei, utpote cum non conveniat cum Deo nisi analogicè, cum alio verbo Angelo univoce; & tamen non potest habere rationem speciei intelligibilis ad cognoscendum alium Angelum, ut præcedenti corollario vidimus: Ergo multò minus ad cognoscendum Deum.

Sed negatur consequentia, & paritas. Ratio disparitatis est, quia essentia unius Angeli non est effectus alterius Angeli, bene autem ipsius Dei; secundum quam rationem habet ipsum repræ-

A sentare, utpote imago & similitudo illius, ut antea declaravimus.

Dices rursus: Si Angeli per suam essentiam tanquam per formam intelligibilem, naturaliter Deum cognoscere, sequeretur naturalem illam singulorum cognitionem quam habent de Deo, esse, sicut eorum essentiam, diversæ speciei: Sed hoc non debet admitti: Ergo nec illud. Sequela Majoris constat: Cognitio enim quam habet Angelus de aliquo objecto, desumit suam unitatem à specie per quam illud intelligit: Ergo cum essentia cujuscumque Angeli specie differat ab essentia alterius, si illa habeat rationem speciei respectu cognitionis naturalis quam quilibet habet de Deo, evidens est cognitionem naturalem de Deo esse diversæ speciei in quolibet Angelo. Minor verò probatur: Cognitio beatificans Angelos beatitudine naturali, debet esse ejusdem speciei in omnibus: Sed cognitio naturalis quam habent de Deo est talis: Ergo non debet distingui specie in ipsis. Minor est certa, Major verò probatur primò, Quia beatitudo supernaturalis est ejusdem speciei in omnibus Angelis: Ergo & naturalis. Secundo, Quia cognitio de Deo, naturaliter beatificans Angelos, terminatur in quolibet ad idem objectum formale, scilicet ad Deum ut autorem & finem naturæ. Tertio, Quia fit medio habitu sapientiæ naturalis, qui est ejusdem speciei in omnibus, sicut sapientiæ supernaturalis.

Respondeo concessâ Majori, negando Minorem. Ad cujus probationem, nego Majorem; & ad ejus primam probationem, nego consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est, quia beatitudo supernaturalis Angelorum habet in omnibus idem objectum formale primarium, scilicet Deum ut autorem & finem supernaturalis: beatitudo autem naturalis eorundem, si consistat in cognitione Dei, non habet idem objectum primarium in omnibus, sed diversum, nempe propriam uniuscujusque essentiam, ad quam primariò terminatur, & secundariò tantum ad Deum. Per quod patet ad secundam probationem ejusdem Majoris: cognitio siquidem illa naturaliter Angeli beatificativa non terminatur nisi secundariò ad Deum, subindeque non ab ipso, sed ab essentia Angeli, quam per se primò respicit, specificatur. Adde quod cognitio illa naturalis quam habet Angelus de Deo, mediante suâ essentia tanquam specie, non oritur in singulis ab eodem, sed à diverso medio, nempe à propria uniuscujusque essentia, ex quo fit quod habeat modum actualitatis & immaterialitatis diversum. Ad ultimam probationem, nego quod habitus sapientiæ naturalis sit ejusdem speciei in omnibus Angelis: dato enim quod habitus naturales in Angelis reperti distinguantur ab eorum intellectu, debent specie inter se distingui, sicut essentia & intellectus in quibus sunt.

ARTICULUS II.

Verum Angeli inferiores comprehendant superiores?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Suppono primò, comprehensionem in rebus spiritualibus dici per analogiam ad eam quæ in rebus corporeis reperitur. In rebus autem ma-



erialibus sumitur dupliciter: primò prout idem est ac affectio quæ terminat insecutionem; quod enim insequentes tandem attingimus, dicimur comprehendere secundo pro continentia sive inclusione totali unius quanti intra aliud, aded ut unde quaque terminis ipsius claudatur. Similiter ergo in rebus spiritualibus comprehensio sumitur dupliciter, ut notat D. Thomas supra quæst. 12. art. 7. ad 1. primò pro affectu, obtentione, & possessione illius quod appetebatur; in quo sensu visio beata dicitur comprehensio, & ab ea Beati appellantur comprehensores: secundo pro adæquatione quæ spiritualis aliqua operatio, puta intellectio, adæquat aliquod objectum, attingendo illud, quantum attingibile est, & in hoc sensu sumitur in præsentia.

58

Suppono secundò contra Vazquem, Angelos superiores comprehendere inferiores. Probatum breviter: Quilibet Angelus seipsum comprehendit, utpote cum habeat vim intelligendi suæ naturæ proportionatam, ejusque intellectualitas illius intelligibilitatè adæquat: Ergo cum Angelus alteri superiori vim intelligendi perfectiorem habeat, quàm inferior, sicut & nobiliorem naturam, à fortiiori inferior comprehendere poterit à superiori. Difficultas ergo solum restat, an Angeli inferiores comprehendant superiores? incujus resolutione tres sunt sententiæ.

Prima sententiæ absolutè affirmat Angelum inferiorem comprehendere superiorem. Ita Bannez supra quæst. 16. art. 2. & Salmanticenses hic disp. 6. dubio 3. Secunda, quam docent Nazarius, Marcus à Serra, & alii, id absolutè negat. Tertia est media, quam sequitur Joannes à S. Thoma, ponens Angelos inferiores, ex vi solius propriæ virtutis intellectivæ, non comprehendere superiores; quamvis eos de facto comprehendant, quia lumen naturale ipsorum perficitur & roboratur per illuminationem superiorum.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

59

Dico primò, Angelum inferiorem, ex vi solius virtutis naturalis sui intellectus, non comprehendere superiorem.

Probatum primò conclusio ratione fundamentali. Ad comprehensionem requiritur ut objectum tam perfectè cognoscatur, quantum ex propria natura cognoscibile est: Sed Angelus inferior non cognoscit superiorem hoc modo: Ergo ipsum non comprehendit. Major est certa, nam ut ait D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 3. *Tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendere, quando cognitum stat sub actu virtutis cognoscitivæ, & non excedit ipsam.* Minor verò probatur primò ex eodem S. Doctore 2. contra Gent. cap. 98. ubi admittit hanc propositionem ex libro de causis: *Substantia separata inferior, cognoscit superiorem secundum modum substantiæ cognoscitivæ, non secundum modum substantiæ cognita, sed inferiori modo.* Et libro de causis lectione 8. circa finem, loquens de intelligentia, inquit: *Superiora cognoscit per modum substantiæ suæ, inferiori modo quam res superior sit in seipsa.* Ergo ex D. Thoma Angelus inferior non cognoscit superiorem tam perfectè, quantum ex propria natura cognoscibilis est.

Secundò probatur eadem Minor ratione: Angelus superior ex sua natura est cognoscibilis suâ propriâ cognitione: Sed inferior non potest il-

lum tam perfectâ cognitione cognoscere; cum non adæquet illum in vi intellectivâ, sicut nec in immaterialitate & perfectione naturæ: Ergo idem quod prius.

Tertiò eadem Minor suadet ab inconvenienti: Si enim Angelus inferior tam perfectè cognosceret superiorem, quàm superior à seipso cognoscitur, & quàm ex natura sua cognoscibilis est, Angelus superior non cognosceret perfectius Deum, cognitione naturali, quàm inferior, subindeque non esset illo beator, beatitudine naturali: Sed hoc non debet admitti: Ergo nec illud. Minor patet, & Sequela verò Majoris probatur. Non potest dari perfectior cognitio Dei effectibus naturæ, quàm sit illa quæ est comprehensiva ejusmodi effectuum: Sed si Angelus inferior semel comprehendat propriâ virtute Angelum superiorem, comprehendet etiam in vi præteritæ talis virtutis quemlibet alium effectum naturæ, ut concedunt Adversarii: Ergo nulla ex effectibus dari poterit cognitio Dei perfectior tali cognitione inferioris Angeli; sicque ex illis effectibus non cognoscet Angelus superior perfectius Deum, virtute propriâ, quàm ipsum cognoscit Angelus inferior.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio principalis. Ad comprehensionem requiritur perfectè adæquatio cognoscitivæ cum cognoscibili: aded ut tanta sit vis cognoscitivæ cognoscitivæ, quanta cognoscibilitas objecti: Sed Angeli inferiores non adæquant perfectè cognoscibilitatem superiorum: Ergo nec eos comprehendunt. Major patet ex prima suppositione, Minor verò probatur. In tantum aliquid est cognoscibile in quantum est actu; unde quod non adæquat alicujus rei actualitatem, non adæquat etiam ejus cognoscibilitatem: Sed Angeli inferiores non adæquant actualitatem superiorum: Ergo nec illorum cognoscibilitatem. Minor quamvis sit evidens, adhuc probatur: quia in tantum aliquid est perfectum, in quantum est in actu; subindeque quod non adæquat alicujus perfectionem, non adæquat etiam ejus actualitatem: constat verò Angelum inferiorem non adæquare perfectionem superioris, cum distinguantur specie, & species se habeant veluti numeri, quorum unus excedit alium, aut ab illo exceditur: Ergo Angeli inferiores non adæquant perfectè cognoscibilitatem superiorum.

Respondent Bannez & Salmanticenses, omnes Angelos esse æquales in intelligibilitate & actualitate, secundum gradum, qui consistit in elevatione supra materiam dicente omnimodam independentiam ab illa, tanquam à subiecto & ab objecto, & hoc sufficere ad comprehensionem, non obstante inæqualitate quam habent in modo habendi gradum illum, sive in ratione specificâ, quæ excessus secundum rationem specificam se habet materialiter.

Sed contra: Per intelligibilitatem secundum gradum non redditur intelligibilis tota entitas Angeli: Ergo ut inferiores comprehendant superiores, non sufficit quòd adæquent eorum intelligibilitatem, secundum gradum & rationem genericam, sed requiritur adæquatio secundum rationem specificam. Consequentia est evidens: quia comprehensio debet adæquare intelligibilitatem quæ reddit totam rei entitatem intelligentem, aliàs non adæquaret totam rei entitatem. Antecedens verò probatur. Intelligibilitas sequitur entitatem per modum passionis; unde non magis

magis extenditur quam ipsa entitas: Ergo impos-
sibile est quod intelligibilitas quæ consequitur
ad gradum immaterialitatis, omnibus Angelis
communem, reddat totam cujuslibet Angeli en-
tatem intelligibilem.

Secundo probatur conclusio: Non potest An-
gelus inferior comprehendere superiorem, nisi
comprehendat etiam species ejus intelligibiles:
Sed Angelus inferior non comprehendit species
intelligibiles Angeli superioris: Ergo nec ipsum
comprehendit. Minor est formaliter D. Thomæ
quæst. 16. de malo, art. 8 ubi sic habet: *Unusquis-
que intellectus aliter se habet ad species intelligibiles
superioris intellectus, & aliter ad species inferioris
intellectus: nam species intelligibiles superioris intel-
lectus sunt universales, & ideo non possunt com-
prehendi per species intelligibiles inferioris intellectus.*

Probatur etiam eadem Minor ratione. Vel
Angelus inferior cognosceret speciem quæ An-
gelo superiori representat omnia sibi inferiora,
per unam speciem, per unam cognitionem, & per
unum verbum, vel per plures species, plures co-
gnitiones, & plura verba: Neutrum dici potest:
Ergo &c. Prima pars Minoris patet: quia si præ-
dictam speciem Angeli superioris inferior Ange-
lus cognosceret per unam speciem &c. jam species
intellectus Angeli inferioris essent æquæ universa-
les species impressæ & expressæ Angeli supe-
rioris, quod tamen esse falsum constat ex dictis
disputatione præcedenti. Secunda verò pars pro-
batur: Quando res aliqua cum omnibus ad eam
pertinentibus cognoscitur, non simul, sed figu-
ratim, & per partes, non potest dici compre-
hendi: sicut in rebus corporeis non potest
quodvis dici comprehendere aliquem liquorem,
si possit tantum seorsim & per partes con-
nectere illam, quando autem Angelus inferior per
certas cognitiones cognosceret totam speciem
superioris, non cognosceret eam nisi veluti
partem post partem: Ergo illam non compre-
henderet.

Major verò, quod scilicet Angelus inferior
non possit comprehendere superiorem, nisi
etiam comprehendat species ejus intelligibiles,
probatur primo, argumento ad hominem: contra
adversarios: Contra Bannem quidem, quia ipse
dicit quod species Angeli sunt proprietates ip-
sius, unde cum ad comprehensionem essentia
necessarium sit comprehendere ejus proprietates;
et quod illæ radicaliter continentur in essentia,
non potest Angelus inferior comprehendere su-
periorum, nisi etiam possit ejus species compre-
hendere.

Contra Salmanticenses verò probatur eadem
Major: Ratio propter quam ipsi ex D. Thomæ
dicunt, Angelum inferiorem comprehensive
cognoscere superiorem, est quia asserunt quem-
libet Angelum debere comprehendere omne ens
naturæ: totumque universum esse objectum
sufficienter proportionatum cuilibet substantiæ
intellectuali completa, ad hoc ut ab ipsa com-
prehendatur: Atqui species angelicæ pertinent ad
naturam naturalem, cum sint accidentia connata
partibus præcipuarum partium universi: Ergo si
Angelus inferior possit comprehendere substan-
tiam Angeli superioris, poterit etiam ejus species
comprehendere.

Secundo probatur eadem Major ratione. An-
gelus potest comprehendere omne illud quod
non habet magis de intelligentia, quam ipse
de intellectualitate. Sed si Angelus inferior com-

prehenderet superiorem, species superioris non
haberent magis de intelligentia, quam infer-
ior de intellectualitate; quia species non sunt
magis intelligibiles quam substantia vel intelle-
ctus cui sunt connaturales; substantia verò
Angeli superioris non esset magis intelligibilis,
quam substantia inferioris esset intellectualis, si
ab ipso comprehenderetur, cum comprehensio
(ut supra dicebamus) essentialiter consistat in
adæquatione virtutis intellectualis potestatis cog-
noscitivæ cum intelligentia objecti: Ergo si
Angelus inferior comprehenderet superiorem,
ejus etiam species comprehenderet.

Huic argumento duobus modis respondent
Salmanticenses. In primis negant Majorem: ad
cujus primam probationem ex ipsorum principiis
desumptam, dicunt nomine entis naturalis, quod
volunt posse comprehendere a quocumque intelle-
ctu angelico, intelligens naturale sub modo
essendi entitativo, non verò sub modo essendi in-
tentionali seu intelligibili: unde cum substantia
Angeli superioris, sub modo essendi entitativo
contineatur, ejus verò species ad modum essendi
intelligibilem pertineant; ex eo quod quilibet
Angelus totum ordinem naturæ comprehendat,
solum potest inferri, Angelum inferiorem sub-
stantiam Angeli superioris, non vero ejus species
comprehendere. Ad secundam verò probatio-
nem dicunt esse disparitatem inter substantiam
Angeli superioris, & ejus species: substantia enim
Angeli superioris habet omnes condiciones re-
quisitas ad hoc ut comprehendatur ab inferiori,
cum tamen species intelligibili Angeli superioris
desit una conditio, nempe quod sit cognoscibilis
per unam cognitionem ab inferiori.

Hæc tamen facile possunt confutari. Primum
quidem: quia nomine entis naturalis, quod Ad-
versarii volunt debere comprehendere ab intellectu
cujuslibet Angeli, non solum intelligitur ens na-
turale materiale, & non intelligibile in actu, sed
etiam immateriale & in actu intelligibile: Ergo
species deservientes intellectuali naturæ, & red-
dentes objectum actu intelligibile pertinebunt
ad ordinem entis naturalis, & erunt objectum
comprehensionis angelicæ, tanquam aliquid
pertinens ad naturam intellectualem, & intelle-
cti deserviens. Alterum verò: quia in hoc vi-
detur esse manifesta repugnantia, quod scilicet
species Angeli superioris non possit unico actu
& unica specie adæquate ab Angelo inferiori
cognosci, bene tamen ejus intellectus & substan-
tia nam tota ratio, cur species intellectus Angeli
superioris non possit ab Angelo inferiori unico
actu & unica specie adæquate attingi, est quia est
universalior quam species intellectus Angeli in-
ferioris, ut docet D. Thomas loco supra relato
ex quaestione 16. de malo: Atqui similiter intelle-
ctus superioris Angeli est universalior intellectu
Angeli inferioris; utpote cum uterque debeat
proportionari propriis speciebus: Ergo &c.

Adde quod essentia cognitionis comprehensivæ
consistit in adæquatione intellectualitatis poten-
tiae, cum intelligentia objecti: unde illa
adæquatione semel posita, debet adesse omnes
condiciones necessarias ad comprehensionem; si-
cut posita rationalitate, necessario ponuntur om-
nia requisita ad esse hominis. Vel ergo intelle-
ctus Angeli inferioris adæquat intelligentiam
& immaterialitatem speciei Angeli superioris,
vel non? Si primum: Ergo habet omnia necessa-
ria ut ipsam comprehendat. Si secundum: Ergo
non

non adæquabit etiam intelligibilitatem substantiæ Angeli superioris; utpote quæ non est minor quam intelligibilitas speciei ejusdem: Ergo non comprehendet substantiam Angeli superioris.

46. Respondent secundò Salmanticenses: datâ Majori principalis argumenti, negando Minorem, quæ asserit quòd Angelus inferior non comprehendit species Angeli superioris. Ad testimonium verò D. Thomæ, quòd aperte militare videtur in contrarium, dicunt illum ibi non loqui de speciebus Angeli superioris, & speciebus inferioris, inter se collatis, sed de speciebus intellectus humani, collatis cum speciebus intellectus Angelici.

Sed hæc explicatio menti S. Doctoris repugnare videtur: quia D. Thomas, ad probandum quòd Angelus potest cognoscere species intellectus humani, præmittit propositionem generalem, & ait quòd unusquisque intellectus potest comprehendere species intellectus inferioris, nõ verò superioris: Ergo illa propositio ex qua deducit intentum, non intelligitur solum de speciebus intellectus humani, collatis cum speciebus intellectus Angelici, aliàs probaret idem per idem: sed hæc probatio D. Thomæ, ut sit efficax, debet resolvi in hoc universale principium intellectus superior differt ab inferiori in eo quòd species illius sunt universales speciebus istius & ideò illæ possunt istas comprehendere.

§. III.

Secunda conclusio stabilitur.

47. **D**ico secundò: Superveniente illuminatione Angeli inferioris facta à superiori, potest inferior superiorem comprehendere, imperfectè tamen. Probatur: Angelus superior per illuminationem manifestat se inferiori quoad omnes perfectiones & modos sibi convenientes, & quòd ipse majori cum claritate & magis unitè cognoscit, dividit, ac multiplicat, sicque accommodat ad captum inferioris, ut hic secundum modum suum illud percipiat, ut latius exponemus infra, quando agemus de illuminatione Angelorum: Sed hoc sufficit ut superior imperfectè comprehendere possit ab inferiori: Ergo Angelus inferior ex fortificatione & illuminatione superioris aliquo modo comprehendit superiorem. Minor probatur: Ad imperfectam comprehensionem sufficit, quòd nihil sit in re cognita quòd non manifestetur, & quòd cognoscens attingat omnes modos ejus & perfectiones, licet ex parte modi cognoscendi sit diversitas: Ergo ad imperfectam comprehensionem Angeli superioris, sufficit quòd superior Angelus illuminet inferiorem, ut easdem res cognoscat inferior, quas cognoscat superior, licet superior semper eminentius cognoscat, & diverso modo se tenente ex parte cognoscentis.

48. **D**ices: Angelus inferior non habet virtutem intelligendi adæquantem intelligibilitatem superioris, nec per illuminationem recipit lumen aliquod à superiori: Ergo non potest illum comprehendere, quamvis ab eo illuminetur.

Respondet quòd quamvis aliquod objectum sit excedens, respectu alicuius virtutis intellectivæ, si tamen applicatur illi huc proprio illius modo, induit quoddammodo rationem objecti proportionati, sicut patet de ipsismet Angelis, qui quamvis excedant vim nostri intellectus, pro hoc statu, ut tamen illi applicentur ad modum quidditatis materialis, induunt rationem objecti pro-

A portionati ipsius. Quamvis ergo Angeli superiores excedant vim intelligendi inferiorum; tamen inferioribus applicentur, juxta modum & captum ipsorum, induunt rationem objecti proportionati, & sic poterunt ab inferioribus comprehendere: quamvis illa comprehensio, ut dixi, sit valde imperfecta; quia, ut supra vidimus, ad veram & rigorosam comprehensionem requiritur, ut vis intelligendi in cognoscente, adæquet intelligibilitatem objecti, & cognoscat ipsum, quantum cognoscibile est. Quare D. Thomas supra quæst. 12. art. 7. sic ait: *Illud comprehenditur quod perfecte cognoscitur: perfecte autem cognoscitur quod tantum cognoscitur quantum est cognoscibile. Unde si id quod est cognoscibile per scientiam demonstrativam, opinione teneatur ex aliqua ratione probabili concepta, non comprehenditur.*

§. IV.

Convelluntur fundamenta adverse sententiæ.

Objiciunt in primis Adversarii quædam D. Thomæ testimonia. Nam S. Doctor 2. contra Gentes cap. 98. sic ait: *Ex hoc quid substantia aliqua est intellectualis, comprehensio est totius entis.* Ex quo infert, quòd Angelus debet habere species intelligibiles, quibus totum ens cognoscitur. Et cap. 99. dicit quòd intellectus Angeli habet virtutem comprehendendi omnes species & differentias entis.

Respondet D. Thomam, nomine comprehensionis, intelligere comprehensionem non strictè sumptam, sed largè, prout idem est ac apprehensio. Quod colligò primò, quia in primo loco dicit aliquam substantiam esse comprehensivam totius entis, non ex eo quòd est intellectualis completa, & à materia omnino, hoc est tam altè quam aptitudine, separata, sed ex eo quòd est intellectualis: Ergo loquitur de comprehensione totius entis, quæ potest etiam convenire animæ rationali: Sed hæc non est comprehensio strictè sumpta, ut patet Ergo D. Thomas non loquitur de comprehensione strictè sumpta. Secundò, quia in illis locis Divus Thomas solum intendit probare, quòd Angelus cognoscat alias substantias spirituales, & etiam materiales, per species sibi suppredditas; unde etiam ibidem modo dicitur nomine cognitionis, modò nomine comprehensionis.

Addo quòd, sicut Adversarii S. Doctorem, asserentem Angelum comprehendere totum ens, glossant de ente naturalis ordinis, imò & ordinis entitativè, prout distinguitur ab intelligibili: ut supra vidimus; ita nobis licet glossare de ente quòd sit inferius ad Angelum cognoscat, si velint D. Thomam loqui de comprehensione strictè sumpta.

Objiciunt secundò: Ad hoc ut Angelus inferior habeat cognitionem comprehensivam superioris sufficit quòd per eam attingantur omnia quæ in Angelo superiori formaliter & eminenter continentur. Atqui cognitio quam habet Angelus inferior de superiori, præcisè ex vi propriæ virtutis intellectivæ, est ejusmodi: Ergo est comprehensiva. Maior videtur certa: In illo siquidem casu cognitio adæquat objectum cognitum, quòd sufficit ad hoc ut sit comprehensiva illius. Minor verò probatur: Essentia superioris Angeli, omnes modi in ea formalitate existentes, & cuncta eminentè in ipsa contenta, sunt objecta proportio-

ata virtuti intellectivæ Angeli inferioris; ut
pote cum hæc omnia continentur sub ente na-
turali universaliter sumpto, quod est objectum
proportionatum intellectus Angeli, etiam infe-
rioris: Ergo hæc omnia ab Angelo inferiori at-
tinguntur.

Respondeo negando Majorem: ad cognitio-
nem siquidem comprehensivam objecti requi-
ritur insuper, quod omnia quæ sunt formaliter
et eminenter in ipso cognoscantur tantâ cog-
nitione quantâ cognoscibilia sunt, ita ut cognitio
non solum adæquet objectum in esse entis con-
sideratum, sed etiam consideratum in esse obje-
ctive cognoscibili: cognitio enim comprehen-
siva non addit supra cognitionem quidditativam,
etiam necessario, plurimum rerum notitiam, sed
adæquationem modi cognitionis activæ cum mo-
do & perfectione cognoscibilitatis objecti: ca-
mque quæ sunt in Angelo superiori, excedunt
in cognoscibilitate, sicut in entitate, virtutem
cognitionis quam habet Angelus inferior de ip-
so propter quem excessum, licet dicantur tali
virtuti proportionata, proportionem specificatio-
nis, non tamen proportionem adæquationis &
comprehensionis.

Insistat tamen: D. Thomas supra quæst. 12.
art. 8. id eo à posteriori collegit intellectum crea-
turæ non posse cognoscere omnes creaturas possi-
biles in Deo, qui alias comprehenderet Deum,
videndo omnia quæ sunt in ipso tam formaliter
quam eminenter: Ergo censet ad cognitionem
comprehensivam objecti, sufficere quod omnia
in ipso tam formaliter quam eminenter contenta
cognoscantur.

Respondeo negando consequentiam. Cum
entium ex una parte ad cognitionem omnium crea-
turarum possibilem, quæ sunt infinitæ, opus sit
humane infinito, & cognitione in actu simpliciter
infinita: ex alia vero parte cognitio simpliciter in-
finita & in actu, non possit esse minor cognoscibi-
litate Dei, etiam adæquatè sumptâ, cognitio om-
nium possibilem, si daretur, adæquaret totam
cognoscibilitatem Dei, subindeque non est mi-
nus quod esset comprehensiva illius.

Obijciunt tertio: Intellectus per se & connatu-
raliter exigens habere speciem quidditativè re-
presentativam objecti, & connaturaliter reci-
piens cognitionem ejusdem objecti, debet posse
comprehendere tale objectum: Sed intellectus
Angeli inferioris connaturaliter exigit habere
speciem quidditativè representantem Angelum
superiorem, & connaturaliter recipit ejus cog-
nitionem: Ergo ipsum comprehendere potest. Ma-
jor probatur: Species quidditativè representans
objectum, est ipsum objectum in esse intelligibili
& ejusdem omnino immaterialitatis in esse re-
presentativo cum ipso; unde cognitio compre-
hensiva talis speciei in esse intelligibili, nõ potest
non esse comprehensiva objecti representati. Sed
si intellectus Angeli inferioris connaturaliter
potest habere speciem Angeli superioris, potest
etiam speciem secundum esse intelligibile specta-
tum comprehendere; quia potest comprehendere
quodquid est sibi connaturale, & eo modo
quo est connaturale; illa autem species est se-
cundum esse representativum connaturalis An-
gelo inferiori, eo quod quilibet Angelus con-
naturaliter exigit habere speciem omnium entium
naturalium pertinentium ad hoc universum: Er-
go &c.

Respondeo ad comprehensionem Angeli su-
perioris necessarium fore quod Angelo inferiori
esset connaturaliter debita species representans
superiorem, juxta modum ipsius superioris, &
non tantum juxta modum inferioris: quia si mo-
dus essendi objecti cogniti, sit supra modum ef-
fendi cognoscentis, species non recipitur omnino
connaturaliter in cognoscente, sed supra ejus na-
turam: sic autem est quod species representans
Angelum superiorem, recipitur in inferiori, se-
cundum modum ipsius inferioris Angeli, & non
secundum modum superioris, ut docet formaliter
D. Thomas supra relatus; & patet, quia quid-
quid recipitur, ad modum recipientis recipitur.
Ad probationem in contrarium respondeo, ad-
mittendo quod species quam habet Angelus in-
ferior de superiori, sit secundum esse intelligibile
ipse Angelus superior, etiam secundum excessum
immaterialitatis quem habet supra inferiorem:
ex hoc tamen solum sequitur, quod Angelus in-
ferior cognoscat superiorem, quantum ad illam
majorem immaterialitatem quoad rem, non ve-
rò quod comprehendat ipsum: quia ad hoc pos-
teriorius non sufficit quod species representet il-
lam majorem immaterialitatem Angeli superio-
ris, sed præterea requiritur quod species sit, se-
cundum esse diminutum quogaudet, ejusdem im-
materialitatis cum Angelo superiori, & quod in-
tellectus cognoscentis habeat illum modum uni-
versalitatis in cognoscendo, quem habet Angelus
cognitus, vel alium perfectiorem & magis uni-
versalem: quia aliàs Angelus superior non attingitur
quantum est attingibilis ex natura sua, &
illo modo quo de facto attingitur per proprium
intellectum.

ARTICULUS III.

Per quam speciem Angelus cognoscat
singularia?

Certum est Angelos cognoscere singularia,
etiam materialia. Nam ut discurrit D. Tho-
mas hic quæst. 57. art. 2. fides Catholica docet
hæc inferiora administrari per Angelos, secun-
dum illud ad Hebræos 1. Omnes sunt administra-
torii spiritus: si autem singularium notitiam non
haberent, nullam providentiam habere possent
de his quæ in hoc mundo aguntur, cum actus
non sint nisi singularium. Præterea secundum
philosophiæ documenta ponuntur Angeli moto-
res orbium cælestium, & quod eos moveant se-
cundum intellectum & voluntatem. Item cum
singularium cognitio hominibus conveniat, non
potest denegari Angelis, qui habent vim intelli-
gendi perfectiorem, magis unitam, & ad plura se
extendentem.

Hoc supposito, inquirunt Theologi, per quam
speciem Angeli cognoscant singularia, & omnia
eorum accidentia? In cujus difficultatis resolutio-
ne Scotus in 2. dist. 3. quæst. ultima, & dist. 9.
quæst. 2. negat Angelum per eandem speciem,
quæ intelligit naturam communem, cognoscere
directè ejus individua. S. verò Bonaventura ibi-
dem dist. 7. quæst. 2. licet id concedat, contendit
tamen, accidentia communia, sive quæ non per se
conveniunt individuis, ab Angelo cognosci per
proprias illorum species.

D d d

§. I.

§. I.

Statuitur vera Sententia.

59

Dico tamen : Angelus cognoscit directe singularia, & omnia eorum accidentia, per eandem speciem, per quam naturam specificam illis communem intelligit. Ita S. Doctor, quoad individua precise, hic art. 2. in corp. & in solutione ad 3. his verbis : *Dicendum quod Angeli cognoscunt singularia per formas universales, quae tamen sunt similitudines rerum, & quantum ad principia universalia, & quantum ad individuationis principia.* Quoad accidentia verò quodlib. 7. art. 2. in solutione ad 1. ubi sic ait : *Sicut autem per unam speciem concretam potest Angelus cognoscere diversa individua, ita etiam multo amplius potest per unam cognoscere quicquid est in uno individuo; ut non oporteat eum aliam speciem habere, quae cognoscat colorem & odorem unius pomi, sed simul cognoscendo hoc pomum, cognoscit quicquid est in pomis illo, & essentialiter, & accidentaliter.*

60

Probatur unicâ, sed efficaci ratione. Species quâ Angelus utitur in cognitione rei materialis, non repraesentat precise naturam specificam, sine singularitate; sed simul utrumque, etiam directe, cum omnibus accidentibus : Ergo per eandem speciem cognoscit directe singularia, & omnia eorum accidentia, per quam naturam specificam illis communem intelligit. Consequentia patet. Antecedens probatur. Species, quâ utitur Angelus ad cognoscendam rem etiam materialem, est participatio immediata divinae essentiae, secundum quod habet rationem speciei intelligibilis : Ergo sicut essentia divina non repraesentat solam naturam specificam, sed etiam ad rationes individuales, cum omnibus earum accidentibus, directe extenditur, ita & species quâ utitur intellectus Angeli. Probatur Consequentia : quia effectus debet, quantum fieri potest, assimilari suae causae : non est autem impossibile, si non repugnat, neque ex parte essentiae divinae in ratione speciei considerata, neque ex parte ipsius speciei Angelicae, ab ea per participationem derivatae, quod haec sicut illa repraesentet simul naturam specificam, ejus individuationem, & omnia ipsius accidentia : Ergo de facto species Angelica haec omnia repraesentat. Probatur Minor quoad speciem Angelicam (nam ex parte essentiae divinae satis constat nullam esse repugnantiam) probatur, inquam, quia cum hac universalitate praedicta species remanet adhuc, etiam in repraesentando, finita simpliciter, & solum infinita secundum quid; quatenus scilicet, repraesentando naturam specificam, repraesentat simul omnia ejus individua, etiam possibilia, contenta in virtute causarum naturalium pertinentium ad hoc universum; ad quod non requiritur infinita perfectio in tali specie; sicut ad hoc ut natura specifica, per eam repraesentata, omnia sua individua, etiam possibilia, contineat, non desideratur in ipsa infinita perfectio, ut magis patebit ex solutione argumentorum. Atqui si in hujusmodi specie non requiratur infinitas ad omnia supra dicta simul repraesentanda, nulla potest dari repugnantia quin ea repraesentet : Ergo &c.

61

Confirmatur primò : Anima nostra per plures species & potentias cognoscit directe naturam specificam, ejus individua, & accidentia : Ergo per eandem speciem & potentiam debet

A Angelus directe & simul cognoscere ea omnia. Probatur consequentia : quia quae possunt conjungi.

Confirmatur secundò : Ideò species quâ utitur intellectus noster, pro statu praesenti, solum per abstractionem à phantasmatibus, atque ab eo utitur Angelus; utpote quae non desinitur atque propter quam concedi non debeat, quod repraesentet directe & simul naturam specificam & quae

B.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

Objicies primò : Si species angelicae naturam aliquam specificam repraesentantes, omnia ejus individua manifestarent, essent infinita perfectionis : Sed hoc dici nequit : Ergo nec illud. Sequela probatur : Intra quamlibet naturam specificam possibilia sunt infinita individua. Sed posse infinita individua repraesentare, infinitam perfectionem dicit. Ergo si species angelicae naturam aliquam specificam repraesentantes, omnia ejus individua manifestarent, essent infinita perfectionis.

C.

Respondeo ex Divo Thoma quaest. 20. de veritate artic. 4. ad 1. ex eo quod species Angelicae possint infinita individua repraesentare, non loqui illas esse infinitas simpliciter, sed tantum secundum quid : sicut natura, sub qua continentur infinita illa individua, est solum infinita perfectionis secundum quid, quia non obstante quod sub se infinita contineat, est definita ad certum genus, certamque differentiam; & sicut scientia indita animae Christi se extendit ad infinitas cognitiones & actus amoris, quos Angeli & Sancti per totam aeternitatem elicuntur sunt; & tamen est simpliciter finita, & solum secundum quid infinita, ut docet idem S. Doctor loco citato & 3. p. quaest. 10. art. 3. ad 2.

D.

Dices cum Scoto : Ubi pluralitas numeralis requirit majorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem simpliciter, sicut si portare simul plura pondera, inferat virtutem intensivè majorem; posse simul portare infinita, arguit virtutem infinitè intensionem, sive intensivè infinitam : Sed posse repraesentare plura individua, dicit majorem perfectionem, quam posse repraesentare unum tantum : Ergo posse repraesentare infinita, arguit in specie angelica infinitam virtutem simpliciter.

E.

Respondeo Majorem esse veram, quando pluralitas numeralis requirit majorem perfectionem secundum intensionem determinatam, ut contingit in exemplo adducto, non tamen quando requirit majorem perfectionem secundum gradum specificum ordinis superioris : Itaque enim quod una perfectio alicuius ordinis, quamvis simpliciter finita sit, tanta tamen sit perfectionis quod excedat infinitas perfectiones inferioris ordinis, & eminenter aequivalat eis, ut patet in actu charitatis, qui aequivalat quantum ad beatitudinem & perfectionem, imò superat infinitas actus amoris naturalis : unde ut una species Angelica aequivalat infinitis speciebus nostris, quarum quaelibet unam tantum quidditatem, vel

unum tantum individuum representat, non requiritur quod sit infinite perfecta, sed sufficit quod sit ordinis superioris.

Objicies secundo: Cognitio intuitiva desumitur ab objecto presenti, & consequenter fit per species ab eo acceptas: Sed Angelus cognoscit intuitivè singularia, quando existunt: Ergo illa cognoscit per species ab illis acceptas, non vero per species universales sibi ab initio infusæ.

Respondeo quod quamvis cognitio intuitiva debeat necessariò terminari ad objectum præsens, non est tamen necessarium, ut species ab eo desumatur aut dependeat, sed potest esse expressa ab aliquo alio superiori, in quo objectum illud secundum omnia quæ habet continetur & representatur: unde species quibus Angeli singularia existentia intuitivè cognoscunt, sunt expressæ ab essentia divina, in qua hujusmodi singularia continentur & representantur, secundum quod existunt in actu exercitio in sua propria temporis differentia.

Objicies tertio: Si Angelus cognosceret singularia, & omnia eorum accidentia, per eandem speciem, unica species rationes inter se oppositas & repugnantes, puta albedinem & nigredinem, sessionem & stationem, vitam & mortem, quæ eidem individuo successive conveniunt, simul representaret. Item cum species sit formalis similitudo objecti quod representat, si eadem species naturam singularem & omnia ejus accidentia representaret, illa simul esset substantia & accidens. Præterea Angelus posset naturaliter cognoscere futura contingentia, quia per illam speciem sibi ab initio infusam cognosceret durationem in qua singularia habitura essent existentiam: Sed hæc non debent admitti: Ergo &c.

Respondeo ad primum, non esse contra rationem speciei excedentis & eminentis, ut simul & uniformiter represententur rationes oppositas, tanquam partialia & inæquata objecta, eo quod representent objectum principale in quo hæc continentur; maxime cum representent illa ut convenientia eidem objecto, pro diversis temporibus; sub qua ratione inter se non habent oppositionem & repugnantiam.

Ad secundum satis probabiliter dici posset, species Angelorum non representare accidentia illa nisi solum virtualiter, atque ita non esse formales ipsorum similitudines: species enim non habet necessariò esse formalis similitudo nisi objecti primarii, aut saltem eorum quæ directè & per se ad illud pertinent. Verum conformius ad supra dicta respondendum est, non esse inconveniens quod eadem species sit simul in esse intelligibili substantia & accidens: quia res quæ in esse representativo & naturali opponuntur, in esse representativo & intelligibili conveniunt & adunantur, ut fuse antea declaratum est.

Ad tertium nego sequelam: licet enim species Angelorum representent semper rerum naturas, singularitatem, existentiam, durationem, imò & exercitium omnium istorum, non representant tamen illa in actu exercitio, sed in actu signato, & per modum quidditatis possibilis, abstracto ab actuali exercitio, actu exercitio. Ratio est, quia species Angelicæ habent naturalem determinationem ad illa omnia actualiter representanda quæ actu pertinent ad hoc universum, eo modo quo ad ipsum pertinent: omnia autem illa

Tom. II.

habent suo modo suas quidditates, secundum quas per modum possibilium nondum in actu exercitio existentium continentur in virtute causarum naturalium, & sic in illis contenta pertinent ad hoc universum; atque ita & semper representantur à speciebus angelicis, & ab Angelis cognoscuntur: quando verò singularia ponuntur in esse, tunc representatur natura, ut in actu exercitio conjuncta hic & nunc cum singularitate, existentia, duratione, & aliis accidentibus quæ tunc illi conveniunt; subindeque tunc cognoscitur ab Angelo natura singularis, ut in actu exercitio existens & durans.

Nec sequitur hinc quod species angelicæ, dum postea in actu exercitio ista representant, debeant intrinsecè mutari, seu perfectionem aliquam intrinsecam de novo recipere: nam quod hæc in actu exercitio antea non representarent, non proveniebat ex defectu perfectionis aut actualitatis in illis, sed solum ex defectu exercitii & actualitatis in objecto, quod antea non erat in actu exercitio existens & durans. Unde D. Thomas quodlib. 7. art. 3. ad 2. *Quando aliquid de novo incipit esse præsens, Angelus cognoscit illud, non factâ aliqua innovatione in ipso Angelo, sed in re cognoscibili, in qua est aliquid quod prius non fuit.* Et quæst. 16. de malo art. 7. ad 3. *Quod demon, inquit, non cognoscit id quod est futurum, non provenit ex eo quod intellectus suus sit in potentia, sed ex eo quod singulare futurum, nondum participat formam speciei, cuius similitudo actu præexistit in intellectu Demonis.* Potest hoc explicari exemplo relationis paternitatis, actu terminata ad unicum filium, quæ absque ulla sui mutatione, aut additione alicujus intrinseci, terminatur & extenditur ad alios de novo genitos; & idem dic de similitudine parietis, & aliis hujusmodi: quia formæ illæ sunt talis naturæ, ut habeant determinationem ad communicandum illum effectum formalem, posito solum aliquo extrinsecò connotato.

Dices: Licet hoc possit dici de relativis, non tamen de absolutis; non potest enim res absoluta (qualis est species angelica) de novo habere determinationem intrinsecam quam antea non habebat, absque intrinseca sui mutatione: Sed representare individua, ut existentia & durantia in actu exercitio, est denominatio intrinseca, quæ non convenit speciei Angeli ante productionem ejusmodi individuum: Ergo non habet illam absque intrinseca sui mutatione.

Respondeo negando Majorem univèrsaliter: licet enim vera sit in rebus absolutis inferioribus, non tamen in rebus absolutis eminentibus; qualis est species angelica, quippe quæ habet excellentem representandi modum; in quantum est participatio modi representandi divinæ essentia: hinc enim fit quod sicut essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, antecederet ad determinationem, voluntatis divinæ circa rerum productionem non representat eas ut existentes, aut futuras; & tamen post dictam determinationem, absque eo quod intelligatur aliquid ipsi in ratione speciei superaddi, representat easdem res ut futuras, imò & ut existentes in æternitate, ut in Tractatu de scientia Dei fuse exposuimus: ita similiter species angelica representativa alicujus quidditatis specificæ, antecederet ad productionem individuum, non dicitur illa representare ut existentia in actu exercitio, bene tamen statimque existunt, quamvis

Ddd ij ex tali

Disp. 4. Art. 1.

ex tali existentia nihil perfectionis de novo in se recipiat.

ARTICULUS IV.

Utrum Angeli futura contingentia seu libera naturaliter cognoscere possint?

§. I.

Præmittuntur quæ apud omnes sunt certa.

75. **C**ertum est Angelos naturaliter cognoscere futura necessaria, qualia sunt ea quæ continentur in causis naturaliter ad eorum productionem determinatis, atque adeo de lege Dei ordinaria inimpedibilibus. Sic Angeli multò melius quàm Astrologi norunt eclipses futuras, cursus planetarum, & tempestates inde secuturas, & alia similia: habent enim universalem & mirabilem scientiam causarum naturalium, & consequenter effectuum ex illis naturaliter & necessario provenientium.

76. Certum est etiam, Angelos posse futura contingentia & libera, id est à causis contingentibus & liberis dependentia, cognoscere cognitione quadam conjecturali, ex aliquibus indiciis solum probabilibus deducta, atque adeo incerta: sicut Medicus ex tactu pulsus, inspectione urinae, & aliis indiciis, præcognoscit sanitatem infirmi. Nam cum diuturna observatione, & plurimum annorum experientia, sciant quæ ut plurimum hominum voluntates inclinare soleant, & quæ ex susceptionibus, tentationibus, occasionebus, & aliis hujusmodi sequantur, prædicta futura conjectantur. Unde solum restat difficultas an ea certò & infallibiliter virtute sua naturali scire possint?

§. II.

Conclusio negativa statuitur.

77. **D**ico igitur, Angelum per vires suæ naturæ, & secluso lumine divinæ revelationis, non posse certò præcognoscere futura contingentia & libera, v. g. ista: Job vincet tentationem Dæmonis in extrema sua nuditate, afflictione, orbitate &c. Adam verò in paradiso deliciis affluens, cedit tentationi & suggestioni Dæmonis. Ita S. Thomas hic art. 3. & communiter Theologi cum illo.

Colligitur ex Scriptura & SS. Patribus, assertentibus prædictionem futurorum, certissimum esse Divinitatis signum & argumentum: nam Isajæ 41. dicitur: *Annuntiate quæ ventura sunt, & dicemus quia Dñi estis vos.* Et cap. 46. *Ego sum Deus, & non est ultra, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissima, & ab initio quæ nondum facta sunt.* Item Danielis 2. ex hoc collegit Nabuchodonozor, Deum Danielis verum Deum esse, quia potuit revelare somnium suum de futuris contingentibus. Propter quod Chrysostomus homil. 18. in Joan. *Certa, inquit, futurorum prædictio, immortalis Dei solius opus est.* Et Tertullianus in Apolog. cap. 20. *Idoneum opinor testimonium Divinitatis, veritas divinationis.* Accedit communis hominum consensus; nam apud omnes gentes, præcognoscere futura libera ab aliis exequenda, appellatur *divinare*, ut per hoc significetur, talem præscientiam esse aliquid divinum, Deoque maxime proprium.

A Potest etiam probari conclusio ratione D. Thomæ. Si Angelus per vires suæ naturæ possit cognoscere futura contingentia, vel ea cognoscere in causis, vel in seipsis? Non in causis, quia liberum arbitrium ex se indifferens est ad unam & alteram partem, & æquè respicit unam atque alteram; subindeque ex illo non magis intelligitur eventus futurus quàm non futurus: nec in seipsis, quia futura non existunt in tempore, quod est propria illorum mensura; cum non sint producta, & extra causas posita; sed solum in mensura superiori æternitatis, quæ cum sit infinita & indivisibilis, ambit omne tempus, coexistit non solum rebus presentibus, sed etiam præteritis & futuris, & ut loquitur S. Doctor: *Cum sit simplex, toti temporis adest, & ipsam conclusit.* Atqui sola cognitio divina mensuratur æternitate, non verò angelica, cujus propria mensura est ævum, vel tempus distretum, ut supra disputatione 6. ostensum est: Ergo solius Dei est, omnia futura in seipsis videre, prout sunt præsentia in mensura suæ æternitatis, non verò hominis, vel Angeli.

Eadem ratione utitur idem S. Doctor infra quæst. 86. art. 4. ad probandum intellectum humanum non posse per vires suæ naturæ futura contingentia cognoscere. Illam tamen despicit Vazquez hic disp. 108. cap. 2. vocans eam *inspirationem*: quia (inquit) licet Angelus per vires suæ naturæ non possit certò cognoscere futurum contingens, neque in seipso, neque in suis causis, bene tamen in veritate objectiva propositionum contradictoriarum, quæ de ipso futuro ab Angelo formari possunt: utpote cum hæc sit naturæ talium propositionum, quod antecederet ad quicumque determinationem causarum sui objecti, una sit determinatè vera, & altera falsa. Adhuc non posse ratione philosophicâ veritatem istam probari, sed solum ex Scriptura & SS. Patrum testimonio. Suæ tamen paulo post assertionis oblitus, num. 19. ait, idèò Angelum non intelligere futura contingentia, quia non sunt objecta naturaliter accommodata ejus intellectui.

Verùm hæc ratio Vazquezii nihil aliud est, quàm ridicula principii petitio: quid enim aliud est futura illa non posse certò cognosci ab Angelo, quàm esse objecta intellectui ejus improprietate, sive non accommodata? Hoc ipsum ergo est quod inquiritur, & quod remanet probandum: cur scilicet futura illa non sint objecta proportionata intellectus Angelici. Ad id quòd, cum sint objecta naturalia, ac proinde ejusdem ordinis cum potentia Angeli, sufficienter ei videntur esse proportionata.

Aliud verò quod dicit Vazquez, nempe futura libera posse ab Angelo cognosci in veritate objectiva propositionum contradictoriarum de futuro contingenti, non minùs absurdum est: nam ratio & lex contradictionis petit solum quod si una pars est vera, altera sit falsa; non autem quod illa præ alia sit determinatè vera: ridiculum enim est dicere quòd v. g. ista propositio: *Petrus cras ambulabit*: ex eo quòd illi apponam contradictoriam (quod omnino per accidens est) redderetur certa & determinata. Unde D. Thomas quæst. 16. de malo art. 7. *Ea quæ sunt ad utrumlibet, non possunt præcognosci in suis causis determinatè, sed sub distinctione, utpote quia erunt vel non erunt, sic enim habent veritatem.* Determinata ergo veritas in futuris contingentibus, nec ex vi contradictionis oriri potest, nec ex natura ipsius futuri

aliquarum causarum superiorum, spiritualium & corporalium. Spiritualium quidem: sicut cum virtute divina ministerio Angelorum intellectus humanus illustratur, & phantasmata ordinantur ad futura aliqua cognoscenda: vel etiam cum per operationem Demonum fit aliqua commotio in phantasia, ad praesignandum aliqua futura quae demones cognoscunt. Huiusmodi autem impressiones spiritualium causarum magis nata est anima humana suscipere, cum a sensibus alienatur: quia per hoc propinquior fit substantiis spiritualibus, & magis libera ab exterioribus inquietudinibus. Contingit autem & hoc per impressionem superiorum causarum corporalium: manifestum est enim quod corpora superiora imprimunt in corpora (scilicet inferiora.) Unde cum vires sensitivae sint actus corporaliū organorum, consequens est quod ex impressione caelestium corporum immutetur quodammodo phantasia. Unde cum caelestia corpora sint causa multorum futurorum, sunt in imaginatione aliqua signa quorundam futurorum. Hac autem signa magis percipiuntur in nocte & a dormientibus, quam de die & a vigilantibus, quia ut dicitur in libro de somno & vigilia, quae deferuntur de die, dissolvuntur magis. Hæc S. Doctor.

87 Objicies tertio: Ævum est mensura perfectior tempore, eique superior: Ergo habet virtualiter coextendi ad tempus præteritum & futurum, sicut aternitas: Ergo cum cognitio Angelica mensuretur ævo, non solum ad præsentia, sed etiam ad præterita & futura se extendit.

88 Respondeo quod licet ævum sit duratio perfectior tempore, eique superior? quia tamen est mensura intra lineam durationis finita, sicut ipsa Angeli substantia quam mensurat, intra lineam substantiæ finita est, & constans genere & differentia; ideo non continet simpliciter durationes rerum inferiorum, nec ad tempus præteritum & futurum virtualiter coextenditur; sicut aternitas, quæ intra lineam durationis infinita est, & mensura esse divini, in quo omnium creaturarum existentia eminentissimo modo continetur. Nec vero oportet quod omne nobilius contineat minus nobilia, secundum proprias rationes, ut multis instantiis declarari posset: nam unio animæ rationalis cum corpore est nobilior unione cujuslibet alterius formæ, & tamen non continet unionem cujuslibet alterius formæ, secundum propriam rationem: item quamvis Africa sit major Aquitania, illam tamen non comprehendit.

Addo quod, licet daretur, ævum ad tempus præteritum & futurum posse virtualiter coextendi, sicut aternitatem, ex hoc tamen non sequeretur Angelum posse intuitivè futura contingentia cognoscere: quia licet cognitio quam habet Angelus de se, sit necessaria, & mensuretur ævo; cognitio tamen quam habet de rebus contingentibus, libera est, & non mensuratur ævo, sed tempore discreto, quod est mensura actionum liberarum Angeli; ut supra disputatione sexta: quæ est de Ævo & tempore Angelorum, fuse declaratum est.

89 Objicies quarto: Christus per species infusas futura contingentia & libera cognoscit: Ergo & Angelus. Probatur Consequentia: quia species Angelorum sunt perfectiores, quam sint species infusæ animæ Christi, ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 11. art. 4.

90 Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Licet enim species angelicæ sint perfectiores speciebus infusis animæ Christi,

A quantum ad universalitatem, non tamen quantum ad alia. Nam ut ibidem ait S. Doctor: Scientia infusa animæ Christi fuit multo excellentior quam Angelorum scientia, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad scientiarum multitudinem: quia lumen spirituale gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est stulto excellentius, quam lumen quod pertinet ad naturam Angelicam. Et ita species animæ Christi infusæ, ut pote præternaturali, repræsentant actu futura contingentia & libera, non tamen species Angelis connaturaliter, & eis ab initio suæ conditionis infusæ.

B omnem veritatem naturalem cognoscit. Sed hæc est veritas naturalis: Hæc causa libera est si determinata vel non determinata ad hunc effectum: Ergo Angelus eam naturaliter cognoscit: Ergo in villarum contradictoriarum, & in veritate objectiva, quæ ex vi contradictionis in eis resultat, potest Angelus quidam sit determinatè futurum, vel non futurum, naturaliter præcognoscere.

Hoc præcipue motivo ducitur Vazquez, loco supra citato, ad rejiciendam rationem D. Thomæ supra expositam, & ad docendum nullam efficienti ratione posse probari, Angelos non posse naturaliter futura contingentia cognoscere. Sed quam debile & infirmum sit hoc fundamentum, satis patet ex supra dictis. Licet enim Angelus naturali lumine veritatem allatæ disjunctivæ cognoscatur, sicut & nos etiam illam cognoscimus; non sequitur tamen quod ex vi illius, seu ex vi contradictionis quam continet, possit determinata futurum alicujus contingentis cognosci: quia ad veritatem disjunctivæ, non requiritur quod patet ex quibus componitur sine determinate veræ, aut determinatè falsæ, sed sufficit quod una ex illis, quæcumque illa sit, habeat veritatem aut falsitatem; seu quod amba non possint esse simul veræ & simul falsæ, sed sint in veritate aut falsitate incompossibiles: alioquin cum propositio illa disjunctiva non solum vera, sed etiam necessaria sit, veritas determinata, quæ ex illa in propositionibus de futuro contingenti resultaret, non esset veritas libera & contingens, sed naturalis & necessaria; maxime cum vis & natura contradictionis fundetur in illo primo principio: *Quidlibet est, vel non est*: quo nihil potest dari aut concipi magis necessarium. Veritas ergo determinata in propositionibus de futuro contingenti, non oritur ex vi & natura oppositionis contradictoriæ, sed ex determinatione causarum, præsertim causarum primarum, quæ cum sit primum liberum, & primum determinans, est prima radix totius libertatis & contingentiæ in rebus creatis, & ut ait D. Thomas I. Periherm. lect. 14. *Causa quedam profundens totum ens, & omnes eius differentias, & hæc ex ipsa voluntate divina, necessitas & contingentia in rebus originantur.* Unde antecedentè ad divinum decretum, quod est libera determinatio voluntatis divine, nullum contingens potest esse aut concipi ut determinatè futurum, nec ulli dari veritas aut falsitas determinata in propositionibus de futuro contingenti, ut in Tractatu de scientia Dei fuse ostensum est.

Dices: Si nihil est determinatè futurum in se, non rationis antecedenti divinum decretum, sequitur quod omnes propositiones negativæ de futuro contingenti, v.g. istæ: *Antichristus non erit: Petrus non disputabit*: pro tali signo erunt determinatæ.

nam vera, & conformes suo objecto, cum verum sit in tali signo, nihil esse determinatè futurum. Pro solutione hujus instantiæ, & majori hujus doctrine explanatione.

Advertendum est, propositionem negativam ex duplici capite posse habere veritatem; vel quia ita est quod forma seu prædicatum non inest subjecto; vel etiam per non suppositionem extremi: v. g. de Petro albo verum est dicere, *Petrus non est niger*, quia nigredo ei non inest; & de Petro mortuo, vel nondum existente, verum est etiam dicere: *Petrus non est niger*, per non suppositionem extremi; quia videlicet si Petrus non sit, consequenter non est niger. Eodem ergo modo

propositio negativa de futuro contingenti potest esse vera: vel quia futurum est quod forma non inest subjecto, ex decreto Deifici determinantis, sive ex indispositione causarum: vel quia nullum futurum; tunc enim vera est propositio negativa per non suppositionem extremorum.

Dico Ergo, quod cum Dei decretum, decernens quid futurum sit vel non, sit æternum, ideo in tota æternitate inest contrariis determinata veritas sua finalitas, ex vi divini decreti: antecederet tamen ad decretum, ordine rationis & intelligentiæ, omnes negativæ sunt veræ; non quia ita futurum sit, sed quia nulla est futuritio; & consequenter habent veritatem per non suppositionem extremorum. Est ergo vera hæc propositio: *Petrus non disputabit*, non quia futurum sit quod non disputabit; sed quia nulla est futuritio seu determinatio disputationis vel non disputationis. Et item sic de ista: *Antichristus non erit*.

Obijcies ultimò: Species Angelorum mentibus indite, non solum repræsentant singularia existentia, sed etiam futura: Ergo cum quilibet Angelus suas species comprehendat, cognoscit in illis non solum res præsentis, sed etiam ea quæ habitura sunt existentiam in aliqua differentia temporis.

Respondet quod licet species Angelorum mentibus indite de se sint repræsentativæ singularium, quæ habitura sunt existentiam in aliqua differentia temporis, ea tamen de facto & in actu secundo non repræsentant, de se u alicujus conditionis ad actualem eorum repræsentationem necessariæ, actualis scilicet existentia & duratio illorum: nam ut ait D. Thomas hic art. 2. ad 3. *Ea quæ sunt præsentia, habent naturam, per quam assimilantur speciebus quæ sunt in mente Angelis; & sic per eas cognosci possunt: sed quæ futura sunt, nondum habent naturam per quam illis assimilantur; unde per eas cognosci non possunt.* Sicut ergo Deus antecederet ad sua decreta libera, non videt futura contingentia; quia licet pro illo prior sit scientia divina in ratione speciei intelligibilis habita ex parte sui omnia requisita ad illa repræsentanda, deest tamen illi extrinsecum connotatum scilicet decretum liberum, ad actualem eorum repræsentationem necessarium: ita pariter Angelus comprehendendo suas species, in illis futura contingentia non agnoscit: quia quamvis species illæ habeant omnia ex parte sui requisita, ad ea repræsentanda, deest tamen illis aliquod extrinsecum connotatum, nempe actualis existentia & duratio illorum, quæ (nisi à Deo revelentur) est omnino ad actualem eorum repræsentationem necessaria.

Quæres, num inter futura contingentia, quorum præsentia negatur Angelis, numeranda sint non tantum ea, quæ impediri possunt inter-

ventu causæ liberæ, sed etiam illa quæ sunt à causis naturalibus, per accidens connexis, & quæ fortuita seu casalia appellantur?

Respondeo affirmativè: quia casalia & fortuita nullam habent in aliqua causa determinationem, in qua certò & infallibiliter cognosci possint, sed omnino per accidens eveniunt, ut docet D. Thomas infra quæst. 115. art. 6. his verbis: *Quod aliquod corpus terrestre ignium in superiori parte aeris generetur, & deorsum cadat, habet causam aliquam virtutem celestem. Et similiter etiam quod in superficie terra sit aliqua materia combustibilis, potest reduci in aliquod celeste principium. Sed quod ignis cadens huic materia occurrat, & comburat eam, non habet causam aliquod celeste corpus, sed est per accidens.* Ergo futura casalia & fortuita ab Angelis naturaliter cognosci nequeunt.

§. IV.

Resolvitur dubitatio incidens de cognitione Angelorum circa præterita.

EX dictis oriri potest dubitatio, an Angeli naturaliter omnia præterita cognoscant? dico omnia: neque enim est dubium, quin Angeli ea quæ viderunt aliquando præsentia, deinde cognoscant, & recordentur esse præterita. Nec item est dubium, quin naturaliter cognoscere possint ea præterita, de quibus ex vestigiis suæ existentia relictis constare potest esse præterita. Sed difficultas tantum est, utrum Angeli cognoscant præterita libera, quorum non perceperunt præsentiam, & quæ nullum sui reliquere vestigium.

Partem affirmantem tenet Vazquez disput. 108. cap. 4. num. 20. Fundamentum ejus est, quia Scripturæ & Patres negant duntaxat Angelos cognoscere futura: Ergo, inquit, non debemus illis negare cognitionem rerum præteritarum. Ex adverso stant omnes alii Theologi, negantes Angelos cognoscere præterita contingentia seu libera, quæ non perceperunt præsentia, aut quæ nullum sui reliquere vestigium. Ratio est, quia præterita prius non cognita, & quæ sui nullum reliquere vestigium, ita se habet respectu intellectus angelici, ac si numquam fuissent; unde eodem modo de illis ac de futuris & nondum existentibus philosophandum est: Atqui contingentia quando sunt futura, naturaliter ab Angelo cognosci nequeunt, ut supra ostensum est. Ergo nec præterita quæ prius non fuerunt cognita, & quæ nullum sui reliquere vestigium. Unde ipse Vazquez sui immemor, dum de memoria Angelorum loquitur, disp. 111. cap. 12. num. 68. asserit quod non potest unus Angelus præteritam alterius Angeli cogitationem cognoscere per memoriam, nisi prius eam præsentem cognoverit.

Addo quod, Scripturæ æquè negat Angelis, & reservat soli Deo cognitionem præteritorum, ac futurorum; ut patet Isajæ 41. ubi Propheta, ut ostendat idola non esse veros Deos, per apostrophem ait: *Appropinquate & annuntiate nobis quæcumque ventura sunt, aut priora quæ erant (id est præterita) & dicemus, quia dñi estis vos.* Ita hunc locum explicant Hieronymus in Isajam, & Gregorius homil. 1. Ezechiel, asserentes aliquando prophetiam cadere in præterita, ut in futura; & idèd Moysem narrantem exordium mundi, Prophetam dici, quia narravit præterita quæ scire

97.

98.

99.

scire non potuit naturaliter. Ex quo patet falsum A ac ruinosum esse fundamentum Vazquezii.

ARTICULUS V.

Verum Angeli secreta cordium, & mysteria gratiae, naturaliter cognoscere possint?

§. I.

Prima pars quaesiti resolvitur.

100. Dico primò: Angeli non possunt per vires suae naturae, & feclusa Dei revelatione, aut speciali directione cogitantis, secreta cordium, seu humanae aut angelicae mentis cogitationes & affectus certò cognoscere. Ita D. Thomas hic art. 4. & communiter Theologi contra Durandum in 2. dist. 8. quaest. 5. docentem Angelos posse naturaliter cognoscere cogitationes & affectus mentis praesentes, non tamen futuros. Cui sententiae favent Henricus & Hervaeus, existimantes Angelos posse naturaliter cognoscere cogitationes cordium, quantum ad substantiam, quamvis ipsas non possint cognoscere, quantum ad modum, seu quantum ad ordinem, & terminationem quam dicunt ad tale objectum, aut talem finem in particulari.

101. Probatur primò conclusio ex illis locis Scripturae, in quibus tanquam singulare Dei attributum refertur, quòd ipse est inspector seu scrutator humanorum cordium, 1. Regum 16. Homo videt ea quae parent: Dominus autem intuetur cor. 2. Paralip. 6. Tu solus nosti corda filiorum hominum. Et Jeremiae 17. Pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscat illud? Ego Dominus scrutans corda & renes. Quae verba exponens D. Hieronymus ait: Hinc id scimus quòd nullus scit cogitationes hominum, nisi solus Deus.

102. Respondet Durandus, id verum esse de cogitationibus hominum futuris, non tamen de praesentibus.

Sed contra: Scriptura haec duo distinguit in Deo, & ut diversa attributa illi propria laudat, nempe esse praescium futurorum, & esse inspectorem cordium: primum quidem Isaia 42. & aliis locis articulo precedenti citatis: alterum verò Actuum 1. Psalmo 7. & aliis locis, quae jam retulimus. Hinc Tertullianus libro 5. contra Marcionem cap. 15. ut ostendat Deum Marcionis non esse verum Deum, provocat illum ut futura praenuntiet, & occulta cordis revelet. At si solum esset proprium Deo cognoscere consilia cordium futura, & si Angeli possent videre cogitationes & affectus quos actu homo habet & format in mente, haec duo non essent diversa; unum enim includeretur in alio, ut patet: Ergo Scriptura locis citatis docet esse proprium Deo cognoscere cogitationes & consilia quae homo actu habet in corde. Unde Isidorus Pelusioti libro 3. Epist. 156. Ea quae cogitatione voluntur (inquit) minime Diabolo cognita sunt. Hoc enim diuina duntaxat potentia, quae corda nostra sigillatim spaxit, peculiare est.

103. Secundo probatur conclusio. Scriptura & SS. Patres probant Christum fuisse verum Deum, ex eo quòd internas mentis cogitationes cognoverit: At si cognoscere secreta cordium, non esset actio Deo propria, & posset alteri quam Deo, nempe ipsi Daemoni, naturaliter convenire, non bene ex ea inferretur Christum esse Deum: Ergo

cognoscere secreta cordium, est actio Deo propria, & nulli creaturae humanae vel angelicae potest naturaliter competere. Minor & Consequenter patet. Major autem probatur ex Joanne Baptistam aliquid qui in ipsum se credere profitebantur, quia eorum corda à se aliena esse cognoscebat: ex quo infert Evangelista, in hac sententia testimonium perhibere de homine; ipse enim scribit quòd dicitur, quòd ex eodem indicio agnoverit Christi Divinitatem. Noverat enim (inquit Cyrillus Alexandrinus) solum Deum scrutatorem esse cordium, nec uni alteri mentem hominis patere. Item Chrysostomus serm. 50. dicit Pharisaeo, cujus cor Christus cognoverat: Cape eius divinitatis mysterium. Audi eum peccatorum tui penetrasse secretum. Aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse. Intellige eum cordis tui tacita nudare consilia. Et serm. 94. Dum Pharisaei cordis patefecerunt arcana, ipsi fuisse totius Prophetiae demonstraverunt auctorem. Eodem argumento utitur Hieronymus in cap. 17. Jeremiae, ubi ex illo Lucae 11. Vi videtis cogitationes eorum, sic ratiocinatur. Nullus potest videre cogitationes eorum, nisi solus Deus: Ergo Christus est Deus.

104. Tertio suaderi potest conclusio ex aliis Scripturae locis, in quibus ex prophetia, & cogitatione cogitationum cordis, probatur Deum habitare in mentibus eorum hominum qui eas cognoscunt; quòd non esset necessarium, nec bene colligeretur, si alius quam Deus posset revelare corda hominum. Sic 1. ad Corinth. 14. Petrus ait, quòd si quis Gentilis in caeterum Christianorum intret (loquitur Apostolus de suo tempore in quo fere omnes propheteabant) convincatur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, & occulta cordis eius manifesta sunt, & ita cadens in faciem, adorabit Deum, pronuncians quòd verè Deus in visibilibus, quia scilicet manifestatis occulta cordis humani, quòd nemo potest facere nisi Deus.

Quarto probatur conclusio hac ratione probabili, quam variis in locis insinuat D. Thomas. Actus liberi nostrae voluntatis debent esse perfectè sub eius dominio: At non haberet voluntas plenum & perfectum dominium suorum actuum, si ipsa invitè esset naturaliter aliis creaturis conspicua ejus electio & deliberatio; esset enim haec electio, ut ita dicam, quasi juris publici, nec perfectè pertineret ad suum principium: Ergo non patent alienis oculis cordis humani secreta.

Denique probatur conclusio ratione fundamentali: Angelus non potest naturaliter cognoscere nisi ea quae pertinent ad ordinem hujus universi, cujus est pars: At qui actus liberi voluntatis secretae, intra eam sistentes, nullumque inferentes effectum ad extra, ad ordinem universi non pertinent, sed sunt extra & quodammodo supra ipsum: Ergo non possunt naturaliter ab Angelo cognosci. Major est certa: Tum quia Angelus habet solum species representativas eorum quae ad hoc universum pertinent: Tum etiam, quia oportet assignare aliquem terminum cognitioni Angelicae; non potest autem alius terminus illi assignari quam latitudo totius universi: Tum denique, quia si cognitio naturalis Angeli ad ea quae non pertinent ad universum se extenderet, non esset ratio cur potius se extenderet ad unum quam ad aliud, & sic omnia possibilia & futura contingentia attingeret.

159.

Minor autem probatur : Ordo universi consistit in hoc quod causæ particulares habeant concatenationem cum universalibus, seu in hoc quod inferiora regantur & moveantur per superiora, ut docet D. Thomas quodlib. 6. Unde aliqua causa inferior & particularis, ejusque operatio ad ordinem universi pertineat, debet habere necessariam cum aliis causis naturalibus & universalibus connexionem, esseque apta moveri ab illis: è contra verò si aliqua causa particularis sit talis conditionis & eminentiæ, ut in aliis operationibus non dependeat à causis naturalibus & universalibus, sed à solo Deo, qui est causa & supra totum ordinem universi, oportet quod tales operationes sint extra, & quodammodo supra totum ordinem universi: voluntas autem humana, ratione libertatis & perfecti domini quod habet in suos actus liberos, talis est nature, perfectionis, eminentiæ, ut in illis à solo Deo dependeat; quia solus Deus potest ei illam, & intra ipsam operari: Ergo actus liberi voluntatis creatæ ad ordinem universi non pertinent, sed extra ipsum & quodammodo supra ipsum existunt.

Hanc rationem insinuat S. Thomas hic art. 2. ubi ex eo quod voluntas rationalis creaturæ, à solo Deo subjaceat, & ipse solus in eam operari possit, infert cogitationes cordium & affectus voluntatis, à solo homine illos actus eliciente, à solo Deo cognosci posse: juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 2. *Quæ sunt hominis, nemo novit, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Ad quæ verba idem S. Doctor sic ait: *Nec Angelus bonus, nec malus, ea quæ in corde hominis latent scire potest, nisi per aliquos effectus manifestantur.* Cuius ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit eam rationem spiritum hominis cognoscere quæ in corde hominis latent, quia in ipso homine est. Angelus autem neque bonus neque malus illabitur menti humana, ut in ipso corde hominis sit, & intrinsecus operetur, sed à solo Deo proprium est. Unde solus Deus est cognoscitor cordis hominis, secundum illud 1ob. 23. *Ecce in celo testis meus, & in excelsis confitebor.*

Eandem rationem fufius expendit idem S. Doctor quæst. 8. de verit. art. 13. his verbis: *Angelus naturaliter cognoscit per formas sibi indicatas, quæ sunt similitudines rerum in natura existentium: motus autem voluntatis non habet dependentiam, nec concatenationem ad aliquam causam naturalem, sed solum ad causam divinam, quæ in voluntate sola imprimere potest.* Unde motus voluntatis, & cordis cogitationes, non potest cognosci in aliquibus similitudinibus rerum naturalium, sed solum in essentia divina, quæ in voluntatem imprimit; & sic Angeli cognoscere non possunt cogitationes cordium directè, nisi in verbo eorum revelentur.

Denique idem S. Doctor quæst. 16. de malo art. 8. sic dicitur: *Id quod cadit sub ordine superioris non potest cognoscere inferior causa, sed solum superior causa movens, & ille qui movetur. Si quis si aliquis civis est sub preposito, tanquam sub imperante causa, & sub Rege tanquam sub suprema, non poterit prepositus cognoscere circa civem si quid immunitate Rex circa ipsum ordinaverit; sed hoc scit Rex, & civis qui movetur secundum ordinem Regis. Unde cum voluntas interior non possit ab alio nisi à Deo moveri, cuius ordini immediatè subest motus voluntatis, & per consequens voluntaria cogitationes, non potest cognosci neque à Daemonibus, neque à quovis alio, nisi ab ipso Deo, & ab homine voluntate & cogitante. Ex his,*

A Inferes primò, quod cum D. Thomas probat actus liberos interios non cognosci naturaliter ab Angelis, quia quæ sunt à voluntate creatæ soli Deo subjacent; discursus ejus non resolvitur in illud principium: *Quæ sunt à solo Deo, sunt soli Deo cognita*, ut falsò existimant Suarez & alii Recentiores (nam principium illud sic acceptum manifestè falsum est, ut patet in materia prima, elementis, cælis, & Angelis, quæ omnia sunt à solo Deo, & tamen nota sunt intellectui creato) sed potiùs in istud: *Quæ sunt ab aliqua causa, mota à solo Deo, sunt soli Deo cognita*, dummodo tamen non sint ab ea causa, in ordine ad universum, vel ad aliquid ad ipsum pertinens; & hujusmodi sunt ea quæ sunt à sola voluntate creatæ, id est, quæ ab ejus dominio plenè dependent, & intra ipsam sistunt. Ex quo solvitur id quod posset dici de actibus necessariis, liberè interioribus, qui sunt à sola voluntate à Deo mota; quia non sunt à voluntate cum dominio, sed elicitivè tantum; insuper dicunt ordinem naturalem ad ipsam, tanquam proprietates, vel tanquam aliquid ad ejus complementum naturaliter requisitum.

B Dices, hanc rationem ita explicatam convincere, Angelum nullo modo posse cognoscere secreta cordis aliorum, etiamsi ad ipsum dirigantur: quia adhuc posita tali directione, manent extra ordinem universi, & consequenter extra objectum proportionatum intellectus angelici.

C Sed negatur sequela: Quilibet enim intellectus angelicus habet virtutem proportionatam ad intelligenda quacumque pertinent ad ordinem universi, & ad seipsum cognoscendum: unde si modò aliquis Angelus extra universum crearetur, intelligeret seipsum, & omnia ad se pertinentia; secus verò illa quæ sunt in hoc universo, ad quod, ut supponimus, non pertineret: hoc autem ipso quod ad aliquem Angelum diriguntur actus interni acrius, ex vi talis directionis, incipiunt ad illum pertinere, & consequenter ingredi latitudinem objecti proportionati sui intellectus; imò & incipiunt etiam pertinere quodammodo ad ordinem universi, quia illa pertinent ad ordinem universi, quæ vel ad ipsum, vel ad aliquam illius partem ordinantur. Nec tamen inde licet inferre, hoc ipso tales actus internos ab omnibus Angelis cognosci; utpote cum omnes Angeli habeant virtutem naturalem ad omnia cognoscenda quæ pertinent ad universum, Respondetur enim, quemlibet Angelum naturaliter quidem cognoscere quacumque pertinent ad universum absolute & simpliciter, secus tamen quæ secundum quid tantum ad illum spectant: ex eo autem quod actus liberi unius Angeli ad alium dirigantur, incipiunt pertinere secundum quid tantum ad universum, utpote in ordine tantum ad illum Angelum ad quem diriguntur; & sic non est necesse ut ab omnibus cognoscantur, sed ab illo solum ad quem diriguntur; ut latius exponens infra, cum agemus de locutione & illuminatione Angelorum.

D Inferes secundò, actus liberos nostræ voluntatis, & actus inter nos liberè ab intellectu nostro procedentes, esse naturaliter cuilibet alteri intellectui creato occultos, nedum quoad modum libertatis, sed etiam quoad substantiam, quia cum sint independentes quoad substantiam à causis naturalibus, non pertinent ad hoc universum, etiam quoad substantiam & entitatem. Secus dicendum est

Disp. 15.
art. 1.
& 2.
110.

Ee e est

est de actibus potenciarum sensitivarum exter-
narum aut internarum, & de actibus appetitus
sensitivi: illi enim pendunt a causis universali-
bus, & sic ad ordinem universi pertinent.

A

§. III.

Solvuntur obiectiones.

§. II.

Aliud corollarium notatu dignum.

112. **E**X dictis etiam inferitur contra Scotum, Ga-
brielem, & aliquos Recentiores, Angelos ex
vera impotentia intrinseca, & non ex sola subtra-
ctione concursus divini, secreta cordium ignorare.

Patet hoc corollarium: Primò quia supra ostendimus, Scripturam & SS. Patres tribuere Deo cognitionem secretorum cordis, tanquam speciale ejus excellentiam & prerogativam: non esset autem specialis Deo excellentia, si esset proportionata virtuti naturali Angeli, & si Angeli cordis non ignorarent, sed solum, ut docent prædicti Authores, quia Deus eis negaret concursum naturalem, sicut negavit igni Babylonico: Ergo quòd Angeli cordium secreta ignorent, provenit ex vera impotentia intrinseca, & non ex sola denegatione concursus divini.

Secundo, Scriptura & SS. Patres supra relati probant Christi Divinitatem ex cognitione & manifestatione secretorum cordis: At hæc probatio parum soliditatis haberet, si Angelus naturaliter, & cum concursu Dei connaturaliter sibi debito, ea penetrare valeret: posset enim aliquis merito dicere, non sequi Christum esse Deum ex eo quòd secreta cordis penetraret & manifestet, sed ad summum esse Angelum, cum quo Deus secundum naturalem ejus exigentiam concurrat: Ergo idem quod prius.

Tertio, Alii SS. Patres relati dicunt, Angelos æque non cognoscere secreta cordis, ac non cognoscere futura contingentia: Sed futura contingentia non cognoscunt ex vera impotentia intrinseca, ut supra ostendimus, & fatentur Adversarii: Ergo nec cordium secreta.

Quarto, Juxta hanc Scoti sententiam, cognitio cogitationum cordis non esset miraculosa, sed potius esset cessatio illius miraculi, quo Deus impedit talem cognitionem: sicut restitutio concursus, quem Deus igni Babylonico denegaverat, non fuit miraculum, sed potius fuit cessatio illius miraculi, quo naturale ignis operationem impeditur: Sed hoc videtur absurdum: Ergo &c.

Quinto, Angelus potest solum naturaliter cognoscere ea quæ pertinent ad ordinem universi, cujus est pars: Sed actus liberi voluntatis creatæ ad ordinem universi non pertinent, sed sunt extra, & quodammodo supra ipsum, ut supra ostendimus: Ergo non potest illos naturaliter cognoscere: subindeque illos ignorat ex defectu potentie, & non ex sola denegatione concursus divini.

Denique contra eandem sententiam valdè urget, quòd Deus nunquam privat totum aliquod genus causæ (saltem à principio suæ conditionis) concursu connaturaliter debito ad aliquam actionem, ad quam habet naturalem inclinationem & virtutem proportionatam alias inclinatio illa & virtus essent frustra. Nec valet si dicas, hunc concursum denegari ex rationabili causa, ne scilicet Dæmones acrius hos impugnent, cognitibus nostris. Nam illa ratio non habet locum in bonis Angelis; & licet mali cognoscerent cogitationes nostras, aliunde tamen possent ligari, & ne nos infestarent arceati.

Objiciunt in primis Adversarii quòdam Simonia SS. Patrum, asserentium Angelos suas cogitationes & affectus mutuo cognoscere. Ita videtur sentire Venerabilis Beda libro 2. in Job cap. 7. ubi ait: Non enim quidquam effectuum suorum adinvicem latere spiritus potest: simplices enim creature, nullam habentes quasi obiculum corpulentum, perspicua sibi sunt. Et D. Gregorius libro 18. Moralium cap. 27. alias 31. in beatitudine resurgentium, inquit, unus erit perspicabilis alteri, sicut ipse sibi: & cum uniuscuiusque intellectus attenditur, simul conscientia penetratur. Unde concludit, civitatem Beatorum allegoricè vocari vitrum mundum; & immediate post subjicit: Nunc autem corda nostra, quando in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra latea vascula concluduntur.

Respondeo illos SS. Patres solum velle quòd Angeli non impediuntur propter membrorum corpulentiam, sicut homines, ne uniuscuiusque mentem alterius penetraret & cognoscat. Nam ait D. Thomas hic art. 4. ad 1. Cogitatio unius hominis non cognoscitur ab alio, propter duplex impedimentum, scilicet propter grossitatem corporis, & propter voluntatem claudentem sua secreta. Primum autem obstaculum tollitur in resurrectione, nec est in Angelis: sed secundum impedimentum manet post resurrectionem, & est modo in Angelis.

Objiciunt secundo: Magi à Dæmonibus instructi revelant interdum secreta cordium, ut de Alberico quodam Mago testatur D. Augustinus lib. 1. contra Academicos cap. 6. Item Dæmones assistentes energumenis, cognoscunt imperia mentalia quæ Exorcistæ illis imponunt, v.g. quòd exhibeant reverentiam erga talem rem vicram: Ergo Angeli possunt naturaliter cogitationes cordium cognoscere.

Respondeo Dæmones interdum revelare aliquas cogitationes cordis humani, non quòd ea certo intelligant, sed quia ex immutatione intertemperamenti corporis, vel ex quibusdam externis indicibus illas explorant, & conjecturaliter cognoscunt. Nam ut resè ait D. Thomas hic art. 4. possunt Dæmones per indicia externa, vel pulsibus, immutationem vultus, & alia corporis affectiones, deprehendere affectus mentis; quòd & medici faciunt, sed illi è mollius, quòd subtilius hujusmodi mutationes corporales advertunt & expendunt. Idem docet Cassianus Collat. 7. cap. 1. his verbis: Nulli dubium est, quòd possint spiritus immundi cogitationem nostrarum attingere qualitates, sed indicibus sensibilibus forissecus colligentes: id est ex nostris dispositionibus aut verbis, ac studiis in qua propensio conspexerint nos inclinari. Ceterum illas, quæ necundè internis anime prodierint, adire omnino non possunt. Ipsas quoque cogitationes quas ingerunt, & atrum susceptæ, vel quemadmodum susceptæ sint, non per ipsius anime naturam, id est per illam interiorem motum, qui in abditis eius absconditur, & ut manifestis aliquid exprimat, in medullis, ut si dixerim, sapiens latitantem; sed ex motibus aspectibus exterioris hominis deprehendunt: cum bonè prudentibus quoque viris sepius fieri videmus, ut scilicet interioris hominis statum, & figuram & vultum, seu quietate exterioris agnoscerent.

Possunt etiam Demones naturaliter cognoscere imperia Exorcistarum solâ mente concepta: quia eo ipso quod talia imperia mentaliter ad eos diriguntur, non manent amplius occulta, sed per tangentem directionem & ordinationem eis revelantur & manifestantur, ut patebit infra, cum agemus de locutione & illuminatione Angelorum.

Objicies tertio: Angelus potest cognoscere naturaliter quicquid continetur intra objectum proportionatum sui intellectus: Sed actus liberi continentur intra objectum proportionatum intellectus angelici: Ergo ab Angelo naturaliter cognosci possunt. Major patet, Minor verò sua- detur. Omnis entitas naturalis continetur intra objectum proportionatum intellectus angelici: Sed actus liberi ad ordinem naturalem pertinent, cum non sint supernaturales, ut supponitur. Ergo continentur intra objectum proportionatum intellectus angelici.

Respondeo negando Minorem: ad cuius probationem, distingo Majorem Omnis entitas naturalis continetur intra objectum proportionatum intellectus angelici, entitas pertinet ad ordinem physicum, concedo Majorem. Pertinet ad ordinem moralem, nego Majorem. Similiter distingo Minorem: actus liberi pertinent ad ordinem naturalem, moralem, concedo Minorem: physicum tantum, nego Minorem, & Consequentiam. Solutio patet ex supra dictis: objectum enim proportionatum intellectus angelici est illud tantum, quod pertinet ad hoc universum, & cum eo connexionem habet: ea autem que ad lineam moralem & liberam pertinent, sunt extra hoc universum, & à solo Deo, ut est futurorum universum, dependent, ut antea exposuimus, subindeque non pertinent ad objectum proportionatum intellectus angelici.

Dices cum Scoto: Duo objecta ejusdem nature sunt duabus mentibus etiam ejusdem speciei & nature: æque proportionata aut disproportionata. Sed cogitatio cordis unius Angeli, puta Michaelis, & cogitatio Gabrielis, sunt duo objecta ejusdem nature, & mens Gabrielis ac mens Michaelis sunt ejusdem speciei: Ergo cogitatio quæ est in corde Gabrielis, est naturaliter æque proportionata Michaeli, ut eam cognoscat, ac Gabrielis ipsi, qui eam videt in corde suo.

Respondeo cum eadem distinctione. Duo objecta pertinentia ad ordinem physicum, concedo Majorem: pertinentia ad lineam moralem, nego Majorem. Ea enim quæ pertinent ad ordinem moralem & liberum, pendent solum à voluntate à qua procedunt, & ab eo cui subjacet talis voluntas, & qui ipsi illi ac in eam operari potest: sub indeque cogitatio à Gabriele elicita, ipsi solum est proportionata ut naturaliter eam cognoscat: & Deo, qui solus menti humanæ & angelicæ illi operari potest, & in illis operari.

Unde S. Thomas in commentario primæ Epistolæ ad Corinthios, explicans illa verba cap. 2. *Quis hominum scit que sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* sic habet: *Neque Angelus bonus, neque malus ea que in corde hominis latent scire potest, nisi per aliquos effectus manifestentur. Cuius ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit spiritum hominis ideo cognoscere que in corde hominis latent, quia spiritus hominis est in homine: Angelus autem, neque bonus, neque malus illabitur menti humanæ, ut in ipso corde hominis sit, & intrinsecus operetur, sed solius Dei hoc proprium est: unde solus Deus est conscius secretorum cordis hominis,*

A secundum illud Job 16. *Ecce in celo testis meus, & conscius meus in excessis.*

Objicies quarto: Si Angelus superior non cognoscat cogitationes inferioris, nisi dependenter à revelatione seu manifestatione sibi facta ab ipso Angelo inferiori, sequitur quod Angelus inferior illuminet superiorem, cum manifestatio cujuslibet veritatis ignota, sit quædam illuminatio. Sed hoc repugnat ordini hierarchico, & doctrinæ D. Thomæ infra quæst. 107. art. 2. Ergo & illud.

Respondeo negando sequelam Majoris: Licet enim Angelus inferior, dirigens suam cogitationem ad superiorem, ei loquatur, non tamen ipsum illuminat: quia ut docet D. Thomas loco citato & 2. 2. quæst. 181. art. 4. ad 2. nec non q. 9 de verit. art. 5. ad 6. plus requiritur ad illuminationem, quam ad locutionem: est enim illuminatio manifestatio veritatis superiori modo cognitæ, disponendo illam pro captu alterius; & ideo solum est in superioribus Angelis respectu inferiorum: locutio autem est sola ordinatio unius conceptus Angeli ad alium: qua ordinatione posita, tollitur ratio secreti respectu illius, & ab eo cognoscitur; unde convenit Angelis inferioribus respectu superiorum.

Ex dictis facile haberi potest resolutio alterius difficultatis in titulo propositæ, an scilicet Angeli mysteria gratiæ naturaliter cognoscere possint? Si enim Angelus non potest naturaliter cognoscere cogitationes alterius Angeli ex ejus voluntate dependentes, multo minus potest cognoscere ea quæ ex sola Dei voluntate dependent, qualia sunt mysteria gratiæ. Unde sic argumentatur Apostolus 1. ad Corinth. 2. *Quæ sunt hominis nemo novit nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita & quæ sunt Dei nemo novit nisi spiritus Dei.*

Confirmari potest hæc ratio, ex eo quod mysteria gratiæ sunt improporcionata propter supernaturalitatem cuilibet intellectui creato: Ergo non possunt ab ipso cognosci, nisi lumine supernaturali illustretur & elevetur; ut fuse ostendimus in materia de Incarnatione, quando inquiremus, an mysterium illud naturali lumine ab intellectu humano vel angelico cognoscibile sit?

Querunt hic aliqui, quæ mysteria supernaturalia Angeli per fidem in via cognoverint?

Breviter respondeo, Angelos per fidem in via cognovisse Deum esse Trinum, Authorem gratiæ, & Finem ultimum supernaturalem: quia creati sunt, ut tenderent propriis actibus in talem finem supernaturalem; quod non poterant facere nisi illum cognoscerent. Quantum verò ad mysterium Incarnationis, illud cognoverunt quoad substantiam, & quasdam etiam principales circumstantias, ut docet D. Thomas hic art. 5. ad 1. quia, inquit, *hoc mysterium est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur.*

Addi potest, fuisse convenientissimum, ut tunc Angeli cognoscerent proprium caput: Christus autem est caput hominum & Angelorum, ut ait Apostolus ad Colos. 2. Ergo &c. Quantum verò ad alias hujus mysterii circumstantias, illas non cognoverunt in via per fidem, sed vel à principio suæ beatitudinis in patria clarè & intuitivè eas viderunt in verbo: vel extra verbum, per speciales revelationes eis factas, de illis postea edocti sunt, secundum quod eorum officis congruebat, ut testatur Dionysius cap. 7. de cælesti Hierarc. ubi hæc scribit: *Sacra Scriptura inducit quasdam cælestes essentias ad ipsum Iesum quæstionem facientes, & addiscentes scientiam divinæ eius operationis.*



rationis pro nobis, & Iesum eas sine medio docentem, ut patet Isaia 63. ubi quaerentibus Angelis: Quis est iste qui venit de Edom? Respondit: Ego qui loquor iustitiam.



DISPUTATIO X.

De modo cognitionis Angelicae.

Ad quaestionem 58. D. Thomae.

Explicatis quidditate, medio, & objecto cognitionis angelicae; ad completam illius notitiam, superest tantum exponere modum illius, & difficultates aliquas quae circa illum occurrunt, breviter resolvere.

ARTICULUS I.

Virum Angeli semper sint in aliquo actu secundo intelligendi?

Supponimus tanquam certum, Angelos non debere semper actu cognoscere omnia objecta quae possunt naturaliter intelligere: nulla enim est necessitas ob quam Angeli debeant semper esse in actuali consideratione rerum omnium naturalium. Hoc supposito, inquirimus, an saltem respectu aliquorum objectorum semper debeant esse in actu secundo, & quanam sint illa objecta?

S. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

Dico primo, Angelum necessario seipsum in actu secundo semper cognoscere. Est contra Vazquem, Puteanum, & quosdam alios Recentiores. Est tamen D. Thomae quae est 8. de verit. art. 6. ad 7 ubi ait: Intellectus Angeli non est in potentia respectu essentia eius, sed respectu eius semper est in actu. Et art. 14. ad 6. Mens Angeli semper se actualiter intelligit: quod ideo contingit, quia mens Angeli intelligit se per essentiam suam qua semper informatur. Quibus verbis conclusionem nostram & docuit & probavit: Cum enim Angelus intelligat se per suam essentiam, ut speciem intelligibilem, & semper illam habeat praesentem, eaque informetur in esse intelligibili, ut praecedenti disputatione declaravimus, manifestum est, Angelum semper & necessario seipsum actu intelligere.

2. Praeterea, ut discurrit idem S. Doctor 2. cont. Gent. cap. 97. Omnis substantia vivens habet aliquam operationem vitae in actu, quae inest ei semper & necessario, licet aliae quandoque ei insint in potentia, sicut animalia semper nutriuntur, licet non semper sentiant. Substantiae autem separatae sunt substantiae viventes, nec habent aliam operationem vitae, nisi intelligere & velle: Oportet ergo quod semper & necessario sint actu intelligentes respectu alicujus objecti, quod non potest esse aliud quam propria eorum substantia, quae est objectum maxime eis connaturale & proportionatum.

3. Confirmatur: Omnis motus secundum naturam ordinem debet reduci in primum motum determinatum ab ipsa natura, qui sit causa exteriorum: unde in animali omnes motus vitales reducuntur in motum cordis, qui fluit quasi proprietas a natura animalis, ipsique semper convenit, ut docet

A D. Thomas in opusculo de motu cordis: Ergo similiter omnis cognitio & volitio naturalis Angeli debet in cognitionem & dilectionem sui, tanquam in primam operationem ab ipsa natura determinatam & procedentem reduci.

Dico secundo, Angelos semper & necessario cognoscere Deum ut suae naturae auctorem Ratio est, quia cum quilibet Angelus seipsum comprehendat, debet necessario cognoscere habitudinem & dependentiam quam habet respectu Dei: Sed haec dependentia cognosci non potest, nisi aliquo modo cognoscatur Deus: Ergo Angelus semper & necessario Deum ut suae naturae auctorem cognoscit. Adde quod in illa Dei cognitione naturalis ejus beatitudo consistit: beatitudo autem (ut docet Aristoteles 10. Ethicorum) non est secundum habitum, sed secundum actum: Ergo &c.

Dico tertio: Intelligentiae motrices caelorum continuo eos intelligunt: eos enim movent efficiaci sui intellectus conceptione, ut supra in fine 5. disp. ex Aristotele & D. Thoma ostendimus. Angeli etiam custodes suos clientes, & quaeunque eorum cura commissa sunt, semper cognoscunt; quippe cum illis semper invigilent. Denique Dæmones semper suos cruciatus & alligationem ad ignem corporeum apprehendunt: torquentur enim cognitione suae poenae & supplicii, a qua proinde nunquam eximuntur. Contra vero Angeli Beati semper sunt in actu respectu cognitionis & fruitionis Dei, & eorum quae videntur in verbo: quia in hac visione beatitudo eorum consistit; beatitudo autem non consistit in habitu, sed in actu, ut ex Aristotele dicebamus; Ergo &c.

S. II.

Solvuntur obiectiones.

Contra primam conclusionem objici potest, quod nullum objectum, praeter Deum clarissimum, potest necessitare intellectum & voluntatem ad sui cognitionem & amorem: Ergo Angelus a propria substantia non potest ad sui cognitionem & amorem necessitari.

D Sed facile respondetur, quod quamvis non necessitetur Angelus ad sui cognitionem & amorem, a propria substantia, tanquam ab objecto, quia non habet omnimodam rationem boni; benevolentiam tamen a principio, in quantum cognitio propriae substantiae est proprietas Angeli dimanans ab ejus essentia; eo fere modo, quo motus cordis fluit quasi proprietas a natura animalis.

Objiciunt secundo quidam Recentiores: Non videtur esse impossibile quod se offerat intellectui Angeli aliquod objectum, ita ipsum capere ad sui cognitionem & admirationem, & ita adequate illum occupans, ut aliquo tempore sui memor esse possit, & manere in sola illius objecti contemplatione.

E Respondeo hoc esse impossibile: Tam quia, ut jam dicebamus, cognitio sui fluit a substantia Angeli tanquam proprietas, & est prima operatio naturalis ipsius: Tum etiam quia substantia Angelus semper ejus intellectum per modum speciei intelligibiliter informat. Unde sicut si species alicujus objecti pupillae oculi naturaliter afficeret, ab ejus visione non posset oculus desistere, quantumvis quae aliud objectum excellens illi offerretur: ita pariter non potest aliquod objectum, quantumvis excellens & perfectum, ad sui cognitionem & admirationem Angelum sic rapere, ut illam distrahat a propriae substantiae cognitione.